
WIDENER LIBRARY
HX JVAD .

Ergebenst überreicht vom Verfasser.

# QUAESTIONES HESIODEAE
## CRITICAE ET MYTHOLOGICAE

---

COMMENTATIO PHILOLOGICA

AB AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM GOTTINGENSIUM

PRID. NON. IUN. A. MCMII

REGIO PRAEMIO CORONATA

QUAM SCRIPSIT

EDUARDUS LISCO
DR. PHIL.

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT
MCMIII.

# QUAESTIONES HESIODEAE
## CRITICAE ET MYTHOLOGICAE

---

COMMENTATIO PHILOLOGICA

AB AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM GOTTINGENSIUM

PRID. NON. IUN. A. MCMII

REGIO PRAEMIO CORONATA

QUAM SCRIPSIT

**EDUARDUS LISCO**
DR. PHIL.

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT
MCMIII.

PARENTIBUS ET SORORI

S.

# Conspectus capitum.

Hesiodo si quis operam dare instituerit, non in verbis emendandis versari satis habebit, sed quasi coactus ad universa carmina interpretanda eorumque compositionem atque historiam pervestigandam progredietur. quot enim inde ab Heynio et F. A. Wolfio exstiterunt Hesiodi interpretes, sive Theogoniam sive Opera curaverunt, tot fere opiniones prolatae sunt de origine et compositione carminum. unde iam colligas licet, qualis et quanta sit quaestio. atque primus quidem Guietus, acerrimi vir iudicii, de Theogonia ita egit, ut praeter verborum sententiarumque explicationem etiam de compositione carminis et forma genuina quaestionem institueret[1]), deinde Ruhnkenius de carminis interpolationibus multa egregie disputavit[2]). quem excepit Heynius, qui in dissertatione academica 'de Theogonia ab Hesiodo condita' (anno 1779 in comment. Soc. Gott. vol. II 125) id studuit comprobare quod titulo iam significavit. a posterioribus enim poetis et a viris, qui in eum ordinem quo nos legimus carmen redegerint, vehementer et auctam et mutatam esse contendit Theogoniam, quam ipse Hesiodus, compilator, non poeta, ex vetustorum carminum fragmentis concinnaverit. neque intellexisse quidem Heynio videbatur Hesiodus, quae conscripsit. Wolfius Theogoniam cum anno 1784 in discipulorum usum ederet unum et continuum carmen, quamvis auctum interpolationibus esse contendit. eum qui secuti sunt lapidem ut aiunt nullum immotum reliquerunt, eo quidem intenti ut Theogoniae antiquissimam formam, quam interpolationibus obscuratam esse contenderunt, indagarent. ex quorum numero primus nominandus est Soetbeerus qui in libello cui inscribitur 'versuch, die urform der Hesiodischen Theogonie nachzuweisen' (Berol. 1837) ipsa formae antiquissimae vestigia deprehendisse sibi visus est, cum complures vel plerasque carminis partes in particulas quinorum versuum facile et dividi et compre-

1) Mützell, de emendatione Theog. Hes. p. 93 sqq.
2) Mützell, l. l. p. 115 sqq.

hendi posse videret. antiquum igitur carmen ita restituebat, ut 72 strophis, quas dicebat, constitutis carmen ad 360 versus redigeret. similem sententiam de Theogonia Gruppius protulit libro suo: 'über die Theogonie des Hesiod' (Berl. 1841), quo vetustam Theogoniam 37 strophis compositam fuisse comprobare studuit. etiam G. Hermannus, qui iam anno 1817, de mythologia Graecorum antiquissima disserens, Theogoniam explicare studuit, qua cosmogoniam potius quam theogoniam contineri contendit, antiquissimam formam indagans Gruppii Soetbeerique sententiam amplexus est. ('de Hes. Theog. forma antiquissima' Lipsiae 1844). qui omnes, quamvis mira de Theogoniae forma et compositione proferrent, de auctore quidem dubitationem non moverunt. Hesiodum autem vere poetam fuisse Schoemannus negavit qui, cum Theogoniam Pisistrati aetate compilatam esse contenderet aliorum variis e carminibus, huic compilationi etiam falsum nomen, quod ad arbitrium fictum esset, inditum esse arbitrabatur. neque enim certo poetae, sed poetarum cuidam classi nomen Hesiodi attributum fuisse indicavit. eandem vel similem de Hesiodo sententiam Welckerus protulit libro suo, 'die Hesiodische Theogonie' (Elberfeld 1865). Theogoniae poeta ei veterrimus est illius ordinis, qui omnino nomine 'Hesiodi' uti solerent; neque unum nec certum virum Theogoniae auctorem fuisse negat, quem tamen ab Operum poeta alienum esse contendit. atqui de Hesiodi persona Operibus comparatis non dubitabis; videas autem quaeso, quam de carmine sententiam secum trahat haec Schoemanni de auctoris persona: quamquam enim ipse Schoemannus Hermannorum et Koechlyorum 'strophis' vehementer est oblocutus, ipsum de recensionibus quibusdam Theogoniae cogitare necesse erat; interpolationes non curat praeter paucos versus, quos postea ornandi causa additos contendit. sed ne exstare quidem vel exstitisse antiquissimam aliquam partem carminis censet, cum Theogoniam prava fragmentorum collectione perfectam esse contendat. Koechlyus autem Gruppii, Soetbeeri, Hermanni vestigia secutus Theogoniam semel singulis 'strophis' confectam fuisse non satis habens duas recensiones fuisse contendit ('de diversis Hesiodeae Theogoniae partibus', Turici 1860). primum scilicet exstitisse Theogoniam aliquam in particulas divisam trinorum versuum; eam postea auctam esse, ita ut Theogoniae particulae iam quinis versibus essent compositae. utramque recensionem ex hac nostra Theogonia restituere conatus est. qua in re comprobanda virum ingeniosum non aliter quam libero gressu grassari potuisse facile vides[1]) neque id Schoemannus in Theogoniae commento ('die

1) Cf. Hesiodea edd. Koechly et Kinkel, Lipsiae 1870.

Hesiodische Theogonie, ausgelegt und beurteilt' Berol. 1868) ostendere praetermisit. totum carmen accuratissime perscrutatus est Mützellius ('de emendatione Theogoniae Hesiodeae libri tres' Lipsiae 1833), ita ut fundamentum Theogoniae emendandae iactum sit, quo etiam hodie ei qui de Theogonia agere velit, utendum sit, quamquam Rzachius in alteram suam Hesiodi editionem omnia, quae ad memoriam et codicum et auctorum pertinent, contulit. — quod autem ad originem carminis et compositionem attinet neque ab Hermannis neque a Schoemannis rem peractam esse luce clarius est. novam quaestioni lucem attulit Arthurus Meyer, qui dissertatione sua 'de compositione Theogoniae Hesiodeae' (Berol. 1887) id quidem extra dubitationem posuit unum et continuum carmen esse Theogoniam, qua in interpretanda ubique certum poetae consilium deprehendatur. statim post prooemium ipse Hesiodus et argumentum carminis et dispositionem profert. ubique fere res secundum hanc dispositionem narrat, ubi minus, etiam hoc certo consilio factum esse ostendit Meyerus. nimirum carmen tanti momenti interpolationibus auctum est, quarum artem et consilium ita Meyerus aperuit, ut unum Theogoniae 'retractatorem vel redactorem' fuisse comprobaverit (l. l. pg. 92). atque tantum praestitit et Hesiodo et viris philologis vir et acuti et cauti ingenii, ut si aliquot locis errasse videbitur ne ipsum quidem aegre laturum esse speremus. certe fundamentum iecit, quo quicumque de Theogonia aget niti debebit.

Etiam qui commentationes de Operibus et Diebus perlustrabit, fata huius carminis mirabitur. nimirum de hoc quoque carmine potius ante interpretationem coniecturas protulisse viros doctos dicas quam ipsum carmen explicare conatos esse. primus C. Lehrsius tertia dissertatione Quaestionum epicarum (Regimontii 1837) carmen discerpsit potius, quam interpretatus est, similiter atque Theogoniam etiam Opera fragmentorum compilationem esse contendens, quae carminum gnomicorum singula praecepta quae ad vitae humanae rationem spectent in unum corpus, non carmen comprehendisset. ab eius sententia non admodum discrepat Twesteni, quam commentatione sua critica de Operibus et Diebus protulit (Kil. 1815). Twestenus quoque compilatoris esse Opera censet, minus tamen quam Lehrsius licenter agens. quinque ille partes discernit, quas homo aliquis — nescimus quo consilio — coniunxerit; accedunt gnomologiarum collectiones. simili modo indicaverunt Thierschius, Goettlingius, Heyerus, Hetzelius, qui maiores partes inter se coniunctas in conexum satis solutum ac solubilem redactas esse dixerunt. C. F. Rankius autem (ed. a. 1840) et Vollbehrius (ed. a. 1844) Opera unum et continuum carmen esse comprobare studuerunt,

quorum ad sententiam prope accessit Lennepius (ed. a. 1847). neque enim de auctore Operum dubitavit. immo ipsius Hesiodi prooemium esse recte iudicavit, quamquam quae arta inter prooemium et ipsum carmen intercedat ratio minus perspexit id enim prooemio effici dicit, ut *'invocatis Musis ac Jove maior apud audientes fiat recitandi carminis auctoritas, ipsoque hoc exordio praeludatur iis, quae carmen ipsum passim proditurum sit de potentissimo Deorum Iove 'iustitiam in terris vindicante adversus reges iniustos βριάοντας et ἀγήνορας.'* ceterum et Theogoniam et Opera ab Hesiodo esse inventa et composita censet, quae quamvis interpolationibus aucta sint in universum etiam hodie in genuina forma tradita sint. itaque et a variis Theogoniae recensionibus et a variis et diversis Operum partibus vel carminibus postea in unum corpus coniunctis pariter abhorret. quos omnes adiuvit Steitzius ('die werke und tage des Hesiodus nach ihrer composition geprüft und erklärt' Lipsiae 1869), qui sententiarum et conexum et progressum in Operibus exstare studuit comprobare. tres contendit esse carminis partes, quae ipsae in aliquot particulas dividi possint. prooemium, mythologicae fabulae, versus quibus de Hesiodi familia exponitur interpolatoris sunt, quas ad partes interpolatas etiam aliae accedunt. — tota res autem rursum in dubitationem vocata est a Kirchhoffio, qui libro suo cui inscripsit 'des Hesiodos' mahnlieder an Perses' (Berol. 1889) plane novam de Operibus sententiam protulit. nempe varia Hesiodi carmina, quae alterum post alterum facta sint, ad Persen fratrem et 'reges' vicissim spectantia ab ipso Hesiodo in unum corpus coniuncta esse contendit, cui communi omnibus prooemio praeluserit. hoc carminum corpus vere Hesiodeum postea variis interpolationibus adiectis auctum esse contendit praecipue fabulis mythologicis, quarum priorem, sc. de prima muliere, ad Theogoniae exemplum inventam esse censet. de Hesiodo igitur Operum auctore non dubitatur. dubitatur autem de ipso carmine, utrum unum sit et continuum, an variis carminibus compositum. quam ad quaestionem diiudicandam ipse Kirchhoffius argumentum et id gravissimum iam attulit iudicio quod de prooemio tulit. prooemium enim, quamquam inde ab Aristarcho omnibus fere carminis interpretibus non modo suspectum, sed etiam interpolatum maleque inventum esse videbatur, Kirchhoffius ipsius Hesiodi esse cognovit. quam Kirchhoffii sententiam nondum pro certa prolatam ita comprobavit F. Leo Hesiodeis (Gott. 1894), ut de hac re dubitare nemini iam liceat[1]). deinde quo artissimo vinculo cum toto carmine sit coniunctum de-

1) Rzachius (ed. a. 1902) '1—9 rhapsodi cuiusdam prooemium' Leonem plane neglegens. cum autem aliis quoque locis quod Leo comprobavit silentio praetereat,

monstravit neque nisi huic carmini ulli omnino anteponi potuisse comprobavit. etiam alteram gravissimam de carminis compositione quaestionem non solum tetigit, sed fere absolvit. ostendit enim, quo modo utraque carminis pars, quarum prior ad iustitiam, posterior ad agriculturam maxime attinet, ab Hesiodo sint arto vinculo coniunctae. versibus enim 268 sqq. ipse Hesiodus ab altero ad alterum carminis argumentum transitum comparavit. itaque si quis post Leonem de Operum compositione agere volet, ei maxime ea Kirchhoffii argumenta erunt tractanda et refutanda, quibus singula 'carmina' quae discrevit ne ad eandem quidem rem spectare sibi visus est comprobare. — denique referenti mihi virorum doctorum de Hesiodi carminibus sententias tacere non licet, quo modo O. Müllerus et Th. Bergkius de Hesiodi arte et ratione iudicaverint. Bergkius enim (griech. literaturg. I 949) mythologicis praecipue fabulis adiectis, de quibus primum iudicavit, proprium ut ita dicam colorem totius carminis effici observavit nec his fabulis insertis universam poetae sententiam optime illustrari neglexit. ommino autem car-

---

perspexisse non videtur Leonis sententiam. neque vero mirum est, quod Rzachius hac ratione de vv. 1—9 iudicat, cum etiam in v. 10 iudicando erret. quem versum prooemio adicere necesse erat poetam, qui vere toti carmini praeludere voluit. nempe hoc demum versu adiecto duplex carminis argumentum, scilicet et reges et frater admonendi, significatur. — quod autem Kemmerus (die polare ausdrucksweise in der griech. liter. Wirceburgae 1903, p. 60) novum argumentum sibi visus est afferre, quo Operum prooemium Hesiodo abiudicetur, plane nullum est. Hesiodum enim tali elocutione rhetorica usum esse negat, qualem ostendant Operum versus 3/4 verbis *ἄφατοί τε φατοί τε, ῥητοί τ' ἄρρητοί τε*. at ipse et Homerum et Hesiodum saepius artificiose et rhetorice loqui concedit. ceterum quanam aetate prooemium fictum esse secundum hoc argumentum dicet Kemmerus? an Empedoclis quem Aristoteles apud Diogenem L. primum *ῥητορικὴν εὑρεῖν* dicit? nulla omnino vis huic argumento inest. ceterum valde dubium mihi quidem videtur esse, num omnino in tali elocutione artem rhetoricam statuere liceat. immo talia verba contrarii sensus saepissime in vetustissimae poesis monumentis non solum Graecorum sed etiam Germanorum et Romanorum composita reperiuntur. velut Buechelerus in 'Umbricis' (pg. 99) satis magnum numerum exemplorum huius elocutionis affert: e. g. e Saliari carmine 'pennatas impennatasque agnas' afferam et e tabula Iguvina sexta (B 59) 'nerf sihitu ansihitu, iovie hostatu anhostatu'. ipse Buechelerus hanc figuram in precationibus verbisque sollemnibus frequentari statuit. ex antiquissima Germanorum poesi R. M. Meyerus ('die altgermanische poesie' Berl. 1889) permulta exempla huius dicendi generis affert, quo e numero ad Hesiodi elocutionem haec prope accedere mihi videntur: 'aesir ok álfar': 'ceorlum and eorlum'; 'enteo ni uuenteo' (ceterum cf. Meyer pg. 240 sqq. 253 sqq. 283 sqq). ad idem genus, ni egregie fallor, etiam haec prooemii verba pertinent. poeticae rationi populari propriae sunt hae figurae. itaque tantum abest ut verbis supra allatis prooemium minus remotis temporibus inventum esse comprobetur, ut ipsius Hesiodi esse his quidem verbis, quae antiquitatis colorem praebent, comprobetur.

minis naturam perspexisse videtur, cum ne Lehrsium ceterosque secuti in complures partes carmen discerpamus moneat. O. Müllerus autem (gr. literaturg.[3] 1875, pg. 137) Opera unum et continuum carmen esse profitetur sane non temere. quod autem gravius est, optime carminis naturam significare videtur, cum primum omnino carmen esse moneat, quo quis de vitae humanae et de sui ipsius vitae ratione agere conatus sit[1]). Hesiodus enim, qui primus talis argumenti carmen finxit, etiam formam carminis et rationem dicendi invenire debuit, quem formam ad argumentum accommodatam carmini non dedisse ne mirum quidem est, cum hodie poeta aliquis tot tantaque exempla imitatus bonam formam facile invenire possit. neque igitur ipsam rem difficillimam fuisse neglegere licet ei, qui carmen et explicare et aestimare conatur, nec ipsi Hesiodo quomodo tale carmen fuerit instituendum praecipere licet, sed ex ipso carmine Hesiodi artem cognoscere necesse est.

Quod Mützellius Theogoniae primus, id Operibus Dimitrijevícius praestare studuit libro quo primum de aliis rebus gravissimis, tum praecipue 'de versibus ab antiquis laudatis' egit ('studia Hesiodea' Lipsiae 1899). quod Leo de paucis tantum locis et eis gravissimis agens indicavit, id Dimitrijevícius large exposuit, sc. gravissima Operum emendandorum indicia ab auctoribus antiquis praestari. cui rei si quis iterum operam dabit, Rzachii editione altera grato animo utetur, qua accuratissime emendationis adiumenta quae ab auctoribus Hesiodum laudantibus nobis suppeditantur omnia congessisse videtur. —

Iam ut ad meas Hesiodeas quaestiones me convertam, profectus sum a Theogoniae et Operum locis quibus Promethei fabula narratur tractandis. quibus fabulis inter se comparatis de ipsorum carminum ratione iudicium quoddam ferri posse viros doctos non fugit. atque adhuc de ratione, quae et inter hos locos et inter ipsa carmina intercedat, miro consensu iudicaverunt viri docti. omnes enim Operum interpolatorem — neque enim quin interpolatae sint in Opera partes mythologicae dubitant — Theogoniam imitatum esse iure contendere sibi visi sunt nec aliter rem Meyerus aut Kirchhoffius tractaverunt. his igitur locis accurate inter se comparatis rationem, quae inter Hesiodi carmina intercedat, investigandam iure summus philosophorum Gottingensium ordo anno 1901 philologiae studiosis proposuit. neque enim de ipsorum carminum forma solum, sed etiam de carminum, praecipue de Operum compositione agenti hac quaestione absoluta gravissima argumenta praeberi videntur. ad hanc igitur quaestionem aggrediamur.

1) Cf. Leonis de carminis natura iudicium; l. l. p. 16.

# Caput I.

## De Theogoniae Prometheo et Pandora.

Promethei fabula in Theogonia narratur versibus 506—616. qua re Hesiodus commotus sit ut Iapeti filios extremo loco, postquam de ceteris Titanibus egit, enumeraret, quamquam ipsum Iapetum (v. 134) in primis Titanibus nominaverat, Meyerus observavit. hac ordinis immutatione evenit, ut poeta Iapeti stirpem atque praesertim Prometheum pluribus versibus tractare posset quam quot in ceterorum generibus tractandis uti soleret. qua re cognita etiam hoc videmus, Hesiodum ipsum Promethei fabulam aliquam narrare voluisse, ut omnia in Theogonia certo e consilio composita esse Meyerus docuit. itaque iam ex ipso ordine, quo Promethei fabulam in Theogoniam inserere voluit poeta, argumentum capere licet ei qui ipsam fabulam tractaturus est. eodem modo iudicandum est de ordine, quo Iapeti filios poeta enarravit. quibus omnibus, sc. Atlante, Menoetio, Prometheo, Epimetheo, breviter nominatis poeta quod de singulis memoriae tradere constituit ita narrat, ut ordine iterum inverso Prometheum hoc loco ultimum afferat. neque dubium est, quin ex hac quoque re eluceat poetam Promethei fabulam narrare in animo habuisse. itaque iam priusquam ad ipsam fabulam accedimus ac singula percurrimus, de hac re non dubitabimus, quin de Promethei fabula ab interpolatore inserta cogitandum non sit. etiam alterum argumentum ipso Iapetionidarum ordine praebetur. in primis enim versibus (509—511), quibus Iapeti filios affert, Hesiodus nihil de natura nec fatis eorum dicit exceptis epithetis: omnibus nominatis quid singuli passi sint exponit. videas autem quo modo res de Epimetheo constituta sit. *ἁμαρτίνοος Ἐπιμηθεύς* primum affertur v. 511 neque deest epithetum quo qualis sit dilucide indicetur. ultimus affertur: id quod fieri debuit, cum secundum Promethei fratris naturam manifesto sit inventus. iterum autem ordo invertitur. tantum enim abest poeta, ut Atlantis, quem primum natum esse narravit, primi fata enarret, ut cum Epimethei nomine statim etiam quid de eo sit narrandum coniungat. atque paucis verbis rem non solum indicat, sed plane absolvit. 'maximum, inquit, malum Epimetheus viris factus est: primam enim mulierem Iovis iussu fictam accepit'. iam de Epimetheo res peracta est et quis fuerit et quid poeta de eo narrare voluerit compertum habemus. neque enim alia ratione in Epimetheo tractando uti voluit Hesiodus, quam qua in fratribus quoque Pro-

metheo excepto usus est: paucis verbis totam rem ita absolvit, ut plura eum esse allaturum non exspectemus, id quod versus de ceteris Iapetionidis comparati docent. grave hoc esse argumentum in fabula sequenti interpretanda apparet, cum quam Epimethei fabulam Hesiodus noverit his versibus doceamur. quo autem argumento Mützellius (l. l. p. 481) nititur, ut v. 513/4 omnino Hesiodo abiudicet, nullum est. in verbo *παρθένος* (514) offendit, quod '*nullum*, inquit, *habet sententiae momentum*, ...., *et ipsum iustam movet suspicionem*'. sane dicere necesse non erat primam feminam, de qua hic sine dubio agitur, virginem factam esse. quod si tamen poeta dicit, dubium non est, quin hoc verbo adiecto ipsa res etiam manifestior fiat. nimirum prima mulier virgo erat. quod autem ad verba *γυναῖκα παρθένον* inter se coniuncta attinet, quam iustam suspicionem moveant nescio. saepius enim verbum *γυνή* etiam ab Homero cum alio substantivo coniungitur, sicut *γυνὴ ταμίη*, *γυνὴ ἀλετρίς*, *γυνὴ γρηῦς*, quod ultimum exemplum ad huius loci sententiam prope accedit. itaque de his versibus suspicionem movere non licet. etiam versus sequentes apte decurrunt, quibus quid Menoetius et Atlas passi sint Hesiodus exponit. neque quibus de causis uterque a Iove sit punitus Hesiodus narrat nisi ipsam eorum naturam supplicii causam fuisse epithetis adiectis significat. Menoetium *ἐν τῇ Τιτανομαχίᾳ* in Tartarum esse deiectum narrat Apollodorus (bibl. I. 2) — qua de re ex Hesiodo nihil comperimus [1]). neque de Atlantis crimine quicquam dicit poeta, quamquam aliter et de Menoetio et de Atlante iudicat Robertus (in Prelleri hist. myth. I[4] p. 48 adn 1.). v. 517, quem affert, ut Atlantem etiam apud Hesiodum propter Titanomachiam punitum esse confirmet, nihil aliud dicit nisi Atlantem propter diram necessitatem caelum ferre. eodem modo etiam Menoetium propter superbiam punitum esse traditur versu 514, quem explicat v. 516. utrumque in Iovem peccasse luce clarius est, sed quando aut ubi peccaverint tacet poeta. Titanomachiam enim afferre hoc quidem loco alienum omnino fuisse a poetae consilio Meyerus comprobavit. de Atlante narratio bene apteque concluditur v. 520, quo Atlas quoque a Iove punitus esse dicitur, id quod e versibus antecedentibus coniectura tantum quamvis veri simili concludere licebat. versu 520 igitur opus est, ut narratio concludatur, neque Gruppio hunc versum (520) una cum duobus antecedentibus removere licuit, ut facilius strophas quinorum versuum restitueret. Puntonius autem (Memor. d. Real. accad. d. scienze di Torino, Ser. II, tom. 38 pg. 443 sqq.), qui in hunc ordinem versus transposuit: 521—525, 520, 534, 517—519, nimia omnino licentia usus esse videtur. summa

---

[1]) Sic recte Schoemannus quoque, op. ac. II $268_1$.

rei, ordo Promethei Atlantisque inversus a Meyero iam reprobatur; manifesto enim tota Hesiodi narratio de Iapeti genere ideo est inserta, ut Promethei fabula narretur. neque omnino Gruppius neque Puntonius neque alii verum de toto loco et gravissimo et difficillimo enucleasse mihi videntur, quorum sententias cum per ipsam commentationem meam impugnem singillatim improbare supersedeo[1]).

Iam igitur ad ipsum Prometheum accedit narratio. primis versibus (521—525) qua poena a Iove sit affectus exponitur. in ipso autem narrationis limine exstant difficultates satis graves quibus ne statim ad sequentia accedamus prohibeamur. neque enim quid de verbis versuum 521/2 neque quid de verborum sensu iudicandum sit adhuc satis constat. certe, si codices tantum sequimur, de verbis dubitatio non exsistit. exhibent versum *δῆσε δ'ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον*, neque bonum verborum versuumque conexum hac codicum scriptura effici negandumst. at Herodianus (*περὶ διχρόνων* II $7_{24,\,27}$ L) et Choeroboscus (I $123_{11}$ H), qui certe ex Herodiano pendet, versum afferentes scribunt: *δήσας ἀλυκτοπέδῃσι*

1) In tota Promethei fabula interpretanda non valde dissentiunt viri docti. Mützellius, Hermannus, Schoemannus, Meyerus quin ab ipso Hesiodo in Theogoniam inserta sit non dubitant, quam unam et continuam narrationem esse contendunt, quamquam variis locis facere non possunt, quin corruptam esse narrationem concedant. sic Mützellius primus propter schol. ad Apoll. Rh. II 1249 probabile arbitratus est ante v. 521 '*paucos versus excidisse, quibus et iunctura narrationis facta fuisset concinnior et explicatius indicata supplicii causa*'. idem iure sibi visus est Schoemannus concludere (comment. Theog. 219) ex Herodiani loco quem infra afferam, quo etiam Gruppius (über die Theog. d. H., Berl. 1841) ut aliam aliquam coniecturam comprobaret usus est. ceterum Schoemannus Hesiodum totam Promethei fabulam e vetusto aliquo carmine deprompsisse censet, ita ut tota de Prometheo narratio Hesiodo sit attribuenda. eadem fere Hermanni est sententia qui dissertatione 'de Hesiodi Theogoniae forma antiquissima' (1844) totam Theogoniam ad quinorum versuum strophas redegit, quarum inde a 72. Promethei fabula narratur. pauci tantum versus removendi ei videntur esse, post v. 520 autem cum Mützellio aliisque unum versum perisse statuit, qui eiusdem sententiae fuerit atque v. 534. in universum autem totam narrationem apte decurrere iudicat. a quo iudicio ne Meyerus quidem abhorret qui etiam v. 520 bene a versu 521 excipi censet. — unus autem Gruppius (über die Theogonie des Hesiod, Berl. 1841) plane aliam de Hesiodi Promethia sententiam profert. totam enim de Iapeti genere narrationem ab Hesiodo alienam arbitratus e Theogonia, cuius formam genuinam restituere conatus est, removit. ipsam narrationem et interpolatam et auctam esse comprobare studuit. nam praeter versus 516, 518—20, 522—33 (propter Herodiani locum) 550—52, 554/5, quos variis de causis narrationis poetae abiudicandos esse putavit, etiam alteram fabulae partem, sc. vv. 558—616, postea adiectam esse censuit. duplicem igitur Theogoniae interpolationem hac in parte statuit.

*Προμηθέα*, quibuscum comparandus est Etymologici Magni codex B, qui pro *δήσας* tradit: *δῆσαι*. de infinitivo dubium non est, quin nullo modo ferendus sit. aliter res est constituta de participio ab Herodiano tradito. cum enim hoc versu utatur, ut dialecticarum correptionum exemplum Hesiodeum afferat, certum est vere participium legisse Herodianum in exemplari suo. neque mirum quod, cum aliis quoque locis in recensendis et Theogonia et Operibus veterum auctorum memoria saepe adiuvemur, exstiterunt qui hoc quoque loco Herodiani scriptura utendum nobis esse contenderint. faciamus autem versus ita esse traditos, ut Herodianus eos legit. primum offendamus necesse est in ipso participio, quo transitus ad novam rem male efficitur. accedit quod vocula *δὲ* aegre desideratur, qua semper Hesiodus, ut decet, utitur, cum ad alium transit (cf. vv. 507, 514, 517). itaque qui Herodiani scripturam genuinam esse contenderunt, facere non potuerunt, quin totum locum plane corruptum in codicibus nostris exstare statuerent. nempe complurium versuum lacunam ante v. 521 statuendam esse scriptura Herodiani recepta dixerunt, velut Mützellius (p. 482) qui ad eandem coniecturam confirmandam scholio ad Apollonium Rh. II 1249, quod nimis accurate ad hunc Hesiodi locum spectare censuit, usus est; etiam Goettlingius Herodiani scripturam rectam esse ratus aut ante v. 521 aliquid excidisse aut vv. 520/1 ita scribendos esse contendit: *ταύτην γάρ σφισι μοῖραν ἐδάσσατο μ. Ζ. δήσας ἀ. κτλ.* quam sententiam in priore editione (1831) prolatam in posterioribus editionibus ne commemoravit quidem, cum ne esse quidem *δήσας* vere Herodiani scripturam arbitraretur. similiter Ahrens locum constituere voluit (Gött. g. anz. 1842 II p. 1274) et ipse Herodiani *δήσας* recipiens, versus 520 initium sic mutans: *λυγροτάτην δ' ἄρα μοῖραν κτλ.*, ad quos omnes Buttmannus quoque (ausf. gr. sprachl. I p. 161) accedit, etsi Herodiani scripturam ceteris versibus non mutatis recipi posse contendat. cui Schoemannus (Theog. comm. 219) obloquitur, nempe Herodiani scriptura unius versus lacunam indicari ratus. a quibus omnibus valde dissenserunt Koechlyus (akad. vortr. u. reden I 392, 393) et Gruppius (l. l. p. 116 $_{39}$). hic enim verbum *δήσας* ei Theogoniae recensioni adhibuit, quam trinorum, *δῆσε δ'* autem alteri, quam quinorum versuum strophis constitutam excogitavit. ille Choeroboscum, quem solum verbi *δήσας* testem novit, mirum in modum verba *δήσας* et *βουλὰς* (v. 534) confudisse arbitratus ad verbum *βουλὰς* adnotationem de *ᾰς* correpto fecisse suspicatus est. unde versum 521 et 534 arte coniunctos fuisse ratus versus 522—533 qui intercedunt removendos censuit. quas ad sententias sane miras refutandas argu-

mentis opus esse non puto. quo modo res se habeat, Hermannus (op. VI 176) perspexit, quem Meyerus quoque sequi videtur: nempe apud Herodianum varia scriptura traditur, quae in aliqua editione fuit, scilicet: *ταύτην — Ζεὺς δῆσας κλ. — δεσμοῖς ἀργαλέοις, μέσον δ. κ. ἐλάσσας*: non belle, sed ne mirifice quidem. neque igitur lacuna ante v. 521 statuenda, neque versus sequentes quibus fabula Promethei exponitur removendi sunt. haec de verborum fide. iam ad interpretationem vv. 521/2 aggredimur: 'vinxit autem Prometheum vinculis, quae perfringi non potuerunt'[1]). de priore versu (521) intellegendo dubitatio nulla est. magna autem est inter viros doctos controversia de altero versu interpretando. G. Hermannus (op. VI 176), Schoemannus (comm. Theog. 207 adn. 3), Prellerus Robertusque (myth. gr.[4] I 99 adn. 3) etiam hoc versu de Prometheo vincto agi censent. 'vincula, inquiunt, mediae columnae infixae sunt'. subaudiunt enim *ἀλυκτοπέδας* vel *δεσμούς* cum verbo *ἐλάσσας* coniungenda. Meyerus (l. l. pg. 34) *δεσμοῖς ἀργαλέοισι* coniungendum esse cum *ἐλάσσας*, *ἀλυκτοπέδῃσι* cum *δῆσε* statuit. quem sensum inesse velit verbis *δεσμοῖς ἀργαλέοισι ἐλάσσας* (sc. *κίονα*) non explicat, tamen fere idem de hoc versu atque ceteri sentire videtur: Prometheum vinctum esse duplici ratione poetam narrare. neque aliter H. Schmidtius (diss. philol. Halens. vol. XII 127) versum explicat. — recta autem interpretatio iamdudum prolata est a Welckero (A. D. III 193), quem secuti sunt Jahnius (archaeol. ztg. 1858 pg. 165), Paleius (ed.[1] 1861), Furtwaenglerus (ibid. 1895 pg. 225), Bethius (prolegomena pg. 94). neque enim, cum iuxta verbum *ἐλάσσας* accusativus iam exstet (sc. verbum *κίονα*), iure alius aliquis accusativus suppletur. si verba *κίονα ἐλάσσας* inter se coniungis, etiam alterum quod dicimus obiectum verbi *ἐλάσσας* exstare apparet: est adiectivum *μέσον*, quod ad *Προμηθέα* spectat. *μέσον* ne cum eo quod est *κίονα* coniungatur, interposita praepositione *διὰ* impeditur, quae ad verbum *μέσον* spectat[2]). sic igitur verba inter se coniungenda sunt: *διὰ μέσον Προμηθέα ἔλασσε κίονα*, h. e. 'palo percussit medium Promethei corpus'. restat ut verba quae sunt *δεσμοῖς ἀργαλέοισι* quo spectent explicetur. atque ipsa verborum forma cum verbo *ἀλυκτοπέδῃσι* ea coniungenda esse apparet. simili modo apud Aeschylum invenimus haec coniuncta: *ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀρρήκτοις πέδαις* (Prom. v. 6), deinde in anthologia Palatina (XII 160) . . . *χαλεπῆς δεσμὸν ἀλυκτοπέδης*. quod utroque loco vox

1) De voce '*ἀλυκτοπέδη*' cf. quae Gu. Schulze exposuit in Kuhnii annalium vol. XXVIII 280, qui quod ad interpretationem versuum attinet interpunctione adhibita eandem indicare videtur quam statim proferam.

2) De postposita praepositione *διὰ* cf. Op. v. 3 *ὅν τε διά*.

πέδη vel ἀλυκτοπέδη arte est coniuncta cum voce δεσμός, ad Hesiodi exemplum factum esse videtur, quamquam apud Hesiodum alio modo hae voces sunt coniunctae. et norunt quidem poetae posteriores verbum ἀλυκτοπέδη certe tantum ex Hesiodi loco. praeter locos iam allatos exstat vox apud Apollonium Rhodium (II v. 1249), deinde apud Tryphiodorum (v. 480), saepe etiam apud Nonnum, aliisque locis anthologiae. hinc verbum in usitatissimis non fuisse apparet neque miramur quod Hesiodus sicut Aeschylus et anthologiae poetae — certe explicationis causa — verba δεσμοῖς ἀργαλέοις adiecerit. ἀλυκτοπέδη, ut ita dicam, nomen proprium videtur esse vinculorum quae perfringi non possunt (τῶν δεσμῶν ἀργαλέων), cui haec verba bene adiciuntur. — nullius autem momenti sunt argumenta, quibus H. Schmidtius (l. l. pg. 128) interpretationem quam protuli refutare sibi videtur. primum enim Prometheum prius vinciendum fuisse contendit quam columna per eum adigeretur. vinculis enim Prometheum prohiberi dicit ne corpus moveret, ita ut columna per corpus peracta maior vel summa poena sit. quod unde Schmidtius concluserit nescio. errat autem in eo, quod vincula minus crudelem poenam esse dicit, cum ipsa brachiorum extensio satis magna poena sit. triplici poena afficitur Prometheus et apud Hesiodum et apud Aeschylum. quod ea, quam Schmidtius maiorem atque crudeliorem esse dicit, participio expressa est, mirum non videtur esse, cum per se minoris momenti non esse videatur. ceterum hoc Schmidtii argumentum a Furtwaenglero (l. l.) iam improbatum est, qui qua de causa poeta hunc poenarum ordinem sumpserit, bene explicat. consulto enim percussionem ita commemorari dicit, ut vincula quibus Prometheus vinciatur summi momenti esse videantur, qua narrandi ratione efficiatur, ut crudelior res, a qua mitioris aetatis homines abhorreant, minus distincte significetur. praetera bene fortasse moneo etiam Homerum saepius ordinem rerum invertere, id quod ne est quidem a sermone epico alienum. '*prorsus*' autem '*a consuetudine sermonis atque recto dicendi genere abhorret*', inquit Schmidtius, '*verborum conexum ita disturbare*' ut ad μέσον διά, quae verba certissime cum κίονα cohaereant, suppleri possit Προμηθέα. multo autem maior est difficultas me quidem iudice, cum accusitivi Προμηθέα et μέσον qui facillime inter se coniunguntur exstent, aliud quod dicimus obiectum supplere e verbis δεσμοῖς ἀργαλέοισι. quomodo autem verba δεσμοῖς ἀργαλέοισι ἐλάσσας inter se coniuncta, id quod Meyerus vult, sanum sensum praebeant nescio. vinculis enim vincitur aliquis, nihil autem vinculis perfigi vel transigi potest. denique ne verbo quidem opus est, ut ultimum

Schmidtii argumentum refutem. '*stipite enim*, inquit, *percussum Prometheum, si modo est homo, statim mortem obire necesse est*'. num vere Prometheum aquilae crudelitatem sine vitae periculo pati potuisse contendat, '*si modo esset homo*'? tali cogitatione in vetustis fabulis interpretandis uti minime licet. at primum Prometheus deus est, non homo. deinde Hesiodus ne solus quidem Prometheum duplici poena affectum esse tradit: etiam stipite eum esse percussum Aeschylus narrat (Prom. vinct. v. 64/5 K., Prom. sol. frg. 193 N² pg. 64). neque aliter vasorum pictores rem tradunt. duplex Promethei poena his vasibus picta est: 1. amphora nigrarum figurarum in sepulcro Etrusco apud vicum qui la Tolfa vocatur reperto, cf. jahrb. d. arch. inst. IV 1889 tab. 5. 6,1. — 2. vas Clusii repertum, nigris figuris exornatum. Mus. Berol. 1722. cf. arch. ztg. 1858 tab. 114,1. — 3. amphora nigrarum figurarum in Mus. Vidonensi servatum. cf. arch. ztg. 1858, tab. 114, 2/3. — 4. vasis magni nigris figuris exornati fragmentum Phaleri repertum. cf. Benndorf. Gr. u. Sic. V. 54,3. quibus omnibus in picturis Prometheus stipite percussus ita pictus est, ut stipitis, qui a summa ad infimam corporis partem totum per corpus, non velut apud Aeschylum per pectus adigitur, summam tantum et infimam partem cernamus [1]). quorum omnium vasorum pictores Theogoniae narrationem imitari ipse Schmidtius comprobavit. unus Cyrenaeae paterae (cf. Gerhard A. V. B. II. 86) pictor rem aliter pinxit (cf. Schmidt l. l. pg. 114, 128). qua in patera nigris figuris ornata Prometheus ad veram columnam Doricam a tergo vinctus est. facile autem intellegimus, quo modo haec discrepantia orta sit. qui enim tales picturas, quales novimus, minus accurate imitatus sit, facile totum stipitem fingere potuit post Promethei corpus stantem. qui stipes facile in columnam, ad quam Prometheus vinctus est, mutari potuit.

Praeter poenas vv. 521/2 allatas etiam tertia atque ea gravissima Prometheum affecit Iuppiter: immisit ei aquilam, quae iecur eius noctu succrescens interdiu comederet. eam Hercules postea interfecit, qua interfecta Prometheus omnino liberatur. verba *κακὴν ἀπὸ νοῦσον ἄλαλκεν* bene electa esse videntur, quibus Prometheus morbo affectus fuisse dicitur. morbus enim est gravissimus, nec mors ipsa ei instat, cum deus sit. iubente nec nolente

1) Sic aperte vasorum picturae interpretandae sunt. qui stipitem a summa ad infimam corporis partem per corpus adactum delineare voluerit, facere non potuit, quin summam tantum et infimam stipitis partem pingeret. nescio igitur cur Schmidtius (l. l. pg. 126) non intellegat, '*quo modo stipes cum Promethei corpore cohaereat*', quem et supra et infra apparere necesse est, ut picturam intellegamus.

Iove Hercules Prometheum liberat, cum hac re gesta Herculis gloriam amplificari voluerit Iuppiter, atque ideo Prometheo porro irasci desiit, quamvis vehementer ei irasceretur propterea, quod is (sc. Prometheus) cum Iove certare audebat (v. 533/4). complures his versibus inesse difficultates nemo non videt neque a viris doctis neglectae sunt. atque ut a gravissima principium fiat, videas quaeso, quae sit versuum 533 et 534 coniunctio. usque ad verba ὃν πρὶν ἔχεσκεν Iuppiter est subiectum quod nos dicimus totius sententiae, versus 534 Prometheus. deinde, cum versus antecedentes aperte de Iove agant, versu 534 tamen Iovis nomen contra opinionem repetitur, cum pronomen personale potius exspectemus quam ipsum nomen. qua igitur in re nimis accuratum se praebeat poeta, eandem eodem loco minus accurate agere videtur. sane dubitandum est, num talem coniunctionem quam omnino coniunctionem esse iure neges Hesiodi esse contendere liceat. accedit autem alia res qua dubitatio de toto loco (vv. 526—533) movetur et augetur. inde a principio totam narrationem eo videmus spectare, ut de Prometheo agatur. atqui hisce in versibus Prometheus nullus est, sed in Herculis gloriam inventi esse videntur. denique rationem habeas quaeso versuum 613—616, quibus Promethei fabula concluditur, quos ne in dubium voces iam nunc certe Hesiodi esse dicam, id quod in posteriore interpretationis parte comprobabo. atque ita concludunt narrationem, ut iterum Iovem decipi posse negent: ne Prometheum quidem Iovis poenam fugisse, quem dira vincula teneant. nullum verbum de soluto Prometheo quem δεσμὸς κατερύκει. quamquam igitur aliis Theogoniae locis Hercules affertur, quem quin Hesiodus noverit nullum est dubium, in hunc tamen locum postea insertus esse videtur. neque vero Alcmena, Herculis mater, in Theogonia nominatur nisi in postrema parte quae satis dubia est. itaque hac in re assentior Gruppio, Mützellio, Paleio, Puntonio qui de versibus 526-533 removendis iam ante me egerunt. cum autem inde ab Aeschylo omnes iam noverint fabulam Promethei ab Hercule liberati, quin satis vetusta aetate hi versus in Theogoniam irrepserint dubium non est. —

Iam ad ipsam Promethei fabulam aggredimur. nam inde a v. 535 quomodo Prometheus prudentia certaverit cum Iove exponitur. saepius vel continuo certabat cum Iove: ἐρίζετο, inquit poeta. unam autem fabulam elegit, qua et Promethei et Iovis prudentia ostenditur. est fraus Meconae a Prometheo commissa. neque igitur omnes Promethei fabulas novimus, quamquam etiam alteram Aeschylus nobis servavit, qui eum homines certa pernicie liberasse dicit (Aesch. Prom. vv. 234—244). et narrationis pro-

gressum et quid narrandi ratione doceamur, Meyerus (l. l. pg. 34/35) bene exponit, ut de hac re loqui supersedeam. quae autem res agitur? κρίνονται θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι. significatur igitur fabula, qua di hominesque vetustissimis temporibus communem vitam degisse narrabantur. ad eandem fabulam pertinet fragmentum Hesiodeum 82 R[2], quo communes deorum hominumque cenas olim fuisse docemur. Callimachus autem (frg. 195 et 465 Schn., quae certe inter se coniungenda sunt, cf. philol. VI 495) plane aliam fabulam nobis servavit, quamquam haec quoque cum Mecona est coniuncta. de honoribus enim agit quibus singuli dei post Titanomachiam fruantur neque quomodo di et homines inter se secernantur narrat. aperte ad Theogoniae vv. 389—396 spectant Callimachi versus, plane aliam autem rem significant atque vv. 535/6. — quae autem res in disquisitionem sit vocata Meconae, ipsa narratio ostendit. communes cenas porro non futuras esse constituerunt di hominesque. tamen plane secerni nolunt, sed sacris institutis ne pristinae communionis obliviscantur prohibere student. partem igitur cenae homines dis sacram esse constituunt. exsistit quaestio, quae cenae pars dis, quae hominibus sit destinanda. Prometheus qui et apud Hesiodum et apud Aeschylum hominum partes suscipit, ipsum Iovem eligere iubet, quid inde ab hoc tempore di accipiant. caedit igitur bovem, cuius carnem ventre, ossa adipe velat; partes in bovis pelle deponit; iamque omnibus comparatis Iovem utram partem malit sumere iubet. sed astuto animo Prometheus partes et fecit et velavit, cum Iovi fraudem praepararet. ideo enim ut Iovem deciperet, bonas bovis partes ventre velavit, ossa autem ad cenam parandam inutilia adipe, qua libenter utuntur et di et homines. atque hanc ossium partem, quamvis dolose, bene et nitide disposuit (εὐθετίσας κατέθηκε 541). specie igitur partium Iovem decipere in animo habet. nempe Iovem eam partem capturum esse sperat, cuius etiam specie allicitur: venter autem vilis bovis pars est, quae apud Homerum mendicis datur (σ 44 sqq., 118), cum quae adipe nitent grata et iucunda esse videantur (cf. e. g. Φ 127. Pind. Ol. 13 99). ita hic quoque (v. 538) exta adipe pignia esse sane eo consilio, ut laudentur, expressis verbis dicuntur. quarum rerum rationem neglegere non licet ei qui et fabulae sensum intellegere et quae sequuntur recte interpretari velit. nempe Iovem ex adipe conspecta aestimaturum esse sperat Prometheus quae adipe tegantur, spreturum ventrem bovis, qui tamen optimam bovis partem continet. nec errat Prometheus. Iuppiter enim, ubi et adipem, qua illicitur, et ventrem, a quo abhorret, conspexit, Promethei consilium plane perspicere sibi visus, leviter eum increpat, dolo quem contra

homines comparatum esse credit tamen gavisus: ὦ πέπον, ὡς ἑτεροζήλως διεδάσσαο μοίρας. „nimis aperte, inquit, deorum partes suscepisti, qui tegmine oblato quid partibus contineatur detegere magis videaris quam celare." hunc fere sensum inesse v. 544 duabus rebus apertum fit. primum Iovem vere decipi indicat verbum ἐξακαφίσκων (v. 537), quod Guietus male in ἐξακαφήσων mutavit (notae in Hes. p. 178). deinde nisi vere deciperetur Iuppiter, verbo κερτομέων (v. 545) sensus plane nullus inesset. cui verbo cavillandi vis inest, neque vero cavillatione uti solet qui se decipi intellegat. at optime hanc in interpretationem quadrant verba ἦκ' ἐπιμειδήσας de Prometheo dicta (v. 547). ex ipsius Iovis verbis (v. 544) Prometheus se eo esse perventurum quo animum intenderat intellegit. subridet igitur neque doli oblitus Iovem quam velit partem ut sumat monet. videas quaeso, quanta arte Hesiodus utatur. quam bene toti loco accommodata sunt verba illa Ζεῦ κύδιστε μέγιστε θεῶν αἰειγενετάων, quae verecundiam summam praetendunt ab eo qui loquitur plane alienam. immo irrident Iovem, qui Prometheum vera verecundia uti opinetur. haec est vera ironia, qua qui utatur plane contrarium dicit atque dicere videtur. — sed antequam ad sequentia aggrediamur, redeamus necesse est ad v. 543, quo saepe iam offenderunt viri docti propter ϝ neglectum et propter insolitam Promethei allocutionem. coniecturis temptarunt locum alii, quos Rzachius affert, Hermannus ni fallor solus versum removendum esse censuit. qua autem re praecipue adducamur, ut versum 543 interpolatum esse iudicemus, neque alius neque Hermannus dixit, qui eum maxime Theogoniae ad 'strophas' reducendae causa removisse videtur. atqui non solum mira est, sed ne tolerabilis quidem duplex Promethei allocutio, quae versibus 543/4 continetur. in compluribus Homeri carminibus quae propter hanc rem perlegi, ne unum quidem locum repperi, quo allocutio etiam in alterum orationis versum transduceretur. semper uno versu allocutio absolvitur. neque verbi ὦ πέπον apud Homerum talis exstat usus qualis hic. nusquam enim ut hic allocutionem statim sequitur, sed exstat aut in ipso orationis initio, ut ipsum sit pro allocutione, aut media in oratione positum longe antecedentem allocutionem excipit. etiam ab Hesiodi consuetudine allocutio in alterum orationis versum producta aliena est. conferas quaeso Theog. vv. 548, 644, 655; Operum vv. 27, 44, 54, 207, 248, 274, 286; Scuti vv. 78, 103, 118, 327, 350 (ubi exstat verbum πέπον), 446. soli Theog. vv. 543/4 et 559/60 a certo usu discedunt. sed accedit de altero versu, quod ἄνακτες quorum princeps dicitur Prometheus nulli sunt; alter concidit, cum Operum v. 54 com-

paratur, qui plane idem est. neque est dubium, quin in Operibus prius exstiterit. neque enim illic eo careri potest, ubi allocutione opus est, cum hic verba ὦ πέπον bonum efficiant orationis initium. praeterea verba πάντων πέρι μήδεα εἰδώς in Operibus eandem ironiam bene prae se ferunt quam in Theogoniae versu 548 exstare vidimus. contra in Theogonia (v. 559) sine ullo sententiae acumine haec verba de Prometheo dicuntur. immo his verbis adiectis etiam debilitatur sententia versus 560. removendi igitur sunt versus 543 et 559.

Statim autem his difficultatibus levatis nova comparantur narrationis progressu. cum supra ex ipsis verbis, nullo alio argumento usi, concluserimus contigisse Prometheo, ut Iovem deciperet, versibus 550—552 plane contrarium probatur. neque enim deceptus est Iuppiter, sed bene perspexit dolum; cum autem male adversus homines consuleret, quae mala consilia vere perficere constituisset, consulto eam partem sumpsit, qua ossa contineri haud ignoraret. nonne mirabiliter ac plane praeter exspectationem narratio progreditur? quidnam efficit Iuppiter ossibus sumptis? efficit, ut inde ex eo tempore homines ossa tantum dis in aris comburant. nempe ita pepigerunt, ut contenti esse debeant di eo, quod Iuppiter sumat. ergo dis ossa dabunt homines, ipsis carnem extaque comedere licebit. haec igitur Iovis mala in homines consilia sunt? nonne Iuppiter ossa consulto sumens consulto sibi ceterisque dis nocet? — sensus fabulae explicatur vv. 556/7, quos male removit Rzachius in priore editione, nec plane sententiam mutasse videtur in altera. immo non solum Hesiodi sunt vv. 556/7, quia sensus fabulae nisi his versibus adiectis non intellegitur, sed etiam satis gravem docent rem. fabula quam Hesiodus hic narrat omnino prima fabula est 'aetiologica'; ergo Hesiodum imitati posteriores poetae genus fabularum aetiologicarum propagaverunt. sensum igitur fabulae explicant vv. 556/7. quem sensum qui accurate perceperit de removendis versibus 550—552 non iam dubitabit; plane enim invertitur sensus, cum Iuppiter ossa consulto sumat. praeter hanc de ipsa re argumentationem, qua sola versus 550/2 quam inepte sint inventi insertique comprobatur, etiam hoc loco ipsis verbis sententiarumque conexu uti licet argumento quo versus removeantur. altera enim pars versus 550 praecesserat v. 545, ubi verba cum acumine posita sunt, ironice scilicet de Iove decepto. contra versu 550 eadem nullius momenti sunt ut etiam in Homeri Ω v. 88, ubi ea ex Hesiodo deprompta iterum legimus. eodem modo iudicandum est de hymni in Venerem versu 43 qui exstat loco satis dubio. neque quisquam versum 545 ad versus 550 exemplum inventum esse contendet, quamquam ne versus

545 removeatur sententiarum conexus non prohibet. quodsi quis diceret versum 545 e versu 550 fluxisse, id, quod magni poetae arte indignum non est, casu effectum esse diceret. — sed etiam versu 554 qua ratione de antecedentibus iudicandum sit docemur. vehementer enim irascitur Iuppiter, neque satis habuit poeta verbis *χώσατο δὲ φρένας* iram Iovis descripsisse, sed adiecit verba *ἀμφὶ δέ μιν χόλος ἵκετο θυμόν*, ut iam quanta ira Iuppiter inflammatus sit appareat. neque mirum quod Iuppiter tali in re deceptus vehementissima ira exardescit. quid autem, si iamdudum dolum a Prometheo sibi comparari intellexit? re ita constituta non ira, sed irrisione atque fere gaudio opus erat. deprehendit enim dolorum inventorem manifesta in re, iam poena eum afficere licet — assecutus igitur est ad quod iamdudum animum intenderat. tamen irascitur Iuppiter, id quod iterum v. 558 exponitur, ut de vera ira dubitare non iam liceat. iam, censeo, apparet qui sint vv. 550/2, qui totam rem plane invertant, qui a narratione non solum alieni sint, sed eam omni sensu etiam privent. dubium non est quin interpolati sint. atque etiam qua de causa sint inserti apparet: nempe offendit aliquis in Iove vere decepto. est enim summus deus, *ἄφθιτα μήδεα εἰδώς*, id quod ipse Hesiodus concedit. ergo decipi nequit. immo consulto sumpsit ossa, ut hominum puniendorum causam haberet. ecce poeta! — quam apte autem decurrit narratio versibus 550/2 remotis: dolus paratur; qua spe nisus Prometheus partes impares faciat indicatur. ipse dolus continuo, etsi non disertis verbis, in memoriam revocatur; exspectatio obscuris verbis et tamen dilucidis magis magisque excitatur; denique fit quod exspectamus. quam aperte etiam v. 553 Iovem ne suspicari quidem quod statim fiet describit: utraque manu adipem albam arripit: ne quis hominum prior capiat quod ipse habere cupit, timere videtur. at alba adipe non caro, alba ossa tantum continentur. observes quaeso verba *λευκὸν ἄλειφα* et *ὀστέα λευκά* inter se composita. consulto autem in ipso narrationis fine repetit poeta verba *ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ* e versu 540. doli causa ossa adipe obtecta erant — hoc nunc etiam Iuppiter intellegit. quae verba hic omnino non possent iterari, nisi dolus vere esset perfectus. tota narratio ad vitae speciem prope accedit, praecipue verbis rebusque inter se oppositis, absolvitur autem versibus 556—557, de quibus supra iam locutus sum.

Etiam Gruppius (l. l., pg. 122/3) et Puntonius (l. l.) sensum fabulae recte intellexerunt, a quo et ipsi alienissimos esse vv. 550/2 observaverunt. tamen non plane verum viderunt. Puntonius enim, quamvis sint alieni versus a tota fabula, contineri eis dicit alteram

quam fingit fabulae recensionem. exstitit, inquit, altera quoque fabulae recensio[1]) vel forma, qua Iuppiter vere decipi narraretur. sed tota fabula eo spectat, ut Iuppiter principalem bovis partem sumere opinatus malam partem sumat: an dubium esse potest, quin Iuppiter optimam bovis partem dis immolari cupiverit? nullo igitur modo fieri potuit, ut summa fabulae res ab aliis aliter narraretur. Gruppius autem ipsos versus 550/2 omni sensu carere dicit atque in malivolentia Iovis in homines offendit. immo ipsi Prometheo, qui prudentia eum superavit, Iovem irasci flagitat, non hominibus qui nihil in eum peccaverint. qua de causa virum doctum hac in re errare iudicem, ut hoc dicam infra locus erit. sed etiam Prellerus (myth. gr. $I^1$ 73/74) et Robertus (l. l. $I^4$ 95) verba *κακὰ δ' ὄσσετο θυμῷ θνητοῖς ἀνθρώποισι* falso interpretantur. coniciunt enim ex eis Iovem iam ante Promethei fraudem malevolentem fuisse erga homines. at hoc solum dicunt verba: mala hominibus futura divinabat Iuppiter, quae usque ad finem perventura erant. recte igitur Schoemannus (l. l. pg. $208_1$) iam ante Promethei fraudem iratum erga homines fuisse Iovem negat. immo ex ipsa fraude Promethei etiam hominibus mala oritura esse Iovem videre versibus 551/2 docemur.

Quae autem sint mala, quae interpolator iam significavit, Hesiodus statim post v. 556/7 narrat.

Quamquam enim vv. 556/7 absolvunt aliquo modo terminantque narrationem antecedentem, ipsa narratio ita est constituta, ut Hesiodo ne licuerit quidem iam narrandi finem facere. rectius dicemus: ex ipsa narrationis ratione concludere non solum licet, sed necesse est ipsum poetam narrationem ultra vv. 556/7 produxisse neque igitur ullo modo e priore narrationis parte de altera dubitatio exsistere potest. atque fit quod imprimis exspectamus: nova narratio cum antecedente coniungitur ira Iovis iterum commemorata, quam tam gravibus verbis poeta descripserat (v. 554), ut ridicula essent ni quid ira permotus Iuppiter faceret vel se facturum minaretur. bene igitur ad Iovis iram redit poeta, ut narrationem continuet; bene eum ita facere concedamus necesse est, quamquam vv. 556/7 aliquo modo narrationem terminare nec non retardare

---

1) Etiam Hermannus (opusc. VI 177) duarum recensionum indicia hoc loco exstare arbitratus est: altera ita constituta: 550, 551 + 554, 555 et q. s., altera autem ita: 550—553, 562—569, 558—561, 570 sqq. — aliam igitur rem curat atque Puntonius neque dubitat, quin fabula ipsa ea fuerit, quam codices nobis tradunt. et ipse Iovem deceptum esse negat, cum de versibus 551/2 removendis nihil dicat. alterius quam fingit recensionis forma offensiones quas infra detegam non levari hic iam praemonere mihi liceat.

videntur. sed hac de re etiam infra agam. nunc ad ipsam narrationem aggredimur.

Continuatur igitur narratio versibus 558 et 560 qui secundum superiorem argumentationem satis arte inter se sunt coniungendi, remoto versu 559. nec Iuppiter verbis solum se vehementer irasci profitetur, sed damnum quo affectus est facto rependit:

*ἐκ τούτου δὴ ἔπειτα δόλου μεμνημένος αἰεὶ*
*οὐκ ἐδίδου μελίοισι πυρὸς μένος ἀκαμάτοιο.*

ignem igitur hominibus dare recusabat, *οὐκ ἐδίδου*: atque imperfecto tempori accedunt verba *δόλου μεμνημένος αἰεί*. — complures hic exstant difficultates. primum enim mirum esse videtur, ut Gruppius monuit, quod Iuppiter, cum a Prometheo, non ab hominibus dolo sit captus, homines, non Prometheum ulciscitur. sed hic scrupulus eximetur, si quis ad ipsam fabulam animum converterit. quidnam Prometheus contra ius fasque fecit? nihil: sed prudentia tantum usus est, ut Iovem vinceret. divisit bovem partesque ita disposuit, ut lubuit, cum lege non esset vinctus. hoc enim summum est et Iovem et homines nescisse, quidnam partes continerent, ideoque partes velatas fuisse. quod si Iuppiter scisset, facile erat meliorem partem eligere. prudentis erat prudenter agere. at Iuppiter specie deceptus se ipse ceterosque deos malo affecit. quod igitur queritur, sibi ipse crimini daret necesse erat, non Prometheo. homines autem bonum lucrati sunt. sed si Iuppiter hoc ita factum esse aegre fert atque ultionem parat, nonne solis hominibus novum malum inveniendum est? faciamus poetam his versibus de Prometheo punito, non de hominibus punitis egisse. licuitne omnino Iovi Prometheum punire, propterea quod ipse satis prudenter rem non egerat? et quid Prometheo punito efficeret? quamvis vehementer in Prometheum saeviat, homines nihilo minus sacrorum meliorem partem de pacto obtinent. talis fabula qualem Gruppius fingit sensu omnino caret neque iure Welckerus (griech. götterl. I 768) neque Koechlyus (akad. vortr. I 389) Prometheum secundum vv. 521 sqq. propter hanc fraudem Meconeam puniri suspicantur, quibus Robertus (l. l. p. 95 3) iure est oblocutus. contra optime Hesiodus Iovem hominibus ultionem comparare narrat. carnem sacrorum eis adimere nequit. sed alia res exstat, qua opus est hominibus et qua nisi Iove volente uti non possint, qua dempta ne carne quidem nisi ferino more vesci licuerit: ignis est quem secundum vetustorum hominum opinionem Iuppiter aut dare aut recusare potest. *'ignis enim natura sua res maxime divina deisque propria visa est'* — sic Schoemannus (op. II 280),

qui etiam verba *οὐκ ἐδίδου* recte interpretatur[1]). itaque ut lucro, quod fecerunt, damnum aliquod opponeretur, ignem Iuppiter dare recusabat, *οὐκ ἐδίδου*, scilicet per longum temporis spatium. hoc est damnum quod lucrum illud non solum aequat, sed etiam superat, ut illud fere nihili fiat, id quod Hyginus (P. A. II 15) iam rectissime monuit[2]). optime igitur procedit narratio. — alteram autem de fabularum conexu quaestionem paulo inferius instituere mihi liceat. hoc loco poetae narrationem prosequamur. — recusavit igitur Iuppiter hominibus ignem. cum autem igne carere non possent homines, iterum quasi antistes atque tutor eis exstitit Prometheus. furatur enim ignem clam Iove, ferula conditum. neque vero mirum quod Iuppiter iterum valde irascitur. mirum autem est, quod iterum homines poena afficiuntur, cum nihil contra Iovis voluntatem fecerint. quodsi omnino puniendus erat Prometheus — quem vehementissime a Iove punitum esse vv. 521 sqq. edocemur — hac re gesta certe puniendus erat. nempe ignem aperte adversus Iovis consilium hominibus dedit, deorum regis voluntatem eludens. hic non dolus est, sed nefas. tamen Prometheus non punitur, sed pergit poeta: *αὐτίκα δ' ἀντὶ πυρὸς τεῦξεν κακὸν ἀνθρώποισι.* deinde sequitur fabula 'Pandorae', ut ita dicam, quamquam nomen in Theogonia non exstat. qua creata quanto malo homines afficiantur, versus 590—612 narrant. nullum autem verbum de Prometheo dicitur praeter versus 613—616. qui versus cum aperte ideo ficti sint, ut fabulam Promethei concludant, cum versibus antecedentibus nullo omnino sententiae vinculo coniuncti sunt. totam rem, quae inde a versu 570 narratur, neglegunt. Promethei autem fabulae sensum bene explicant, cum etiam versus 522 ratio habeatur versu 616. aperte ipse Hesiodus Promethei fabulam his versibus concludi voluit. at ipsa Promethei fabula v. 569 minime est absoluta, ut vidimus. nec hi quidem versus (613—616) fabulam terminant, sed, ut iam dixi, in universum eam concludentes sensum fabulae indicant. ipsos ad fabulam iam usque ad finem perductam spectare luce clarius est, cum ad ipsam poenam ita alludat poeta verbis *ὣς οὐκ ἔστι Διὸς κτλ.*, ut ex ipsis Hesiodi verbis poenam Promethei paulo ante eum narrasse necessario concludamus. itaque et ipsa fabulae narratione et versibus illis qui narrationem explicant post versum 569 versus aliquot significantur nunc perditi, quibus qua poena Iuppiter Prometheum affecisset, narratum erat vel ad rem versibus 521 sq. narratam auditores relegabantur. — etiam alteram conclusionem versus 613—616 suppeditant.

1) Cf. Weil, études sur le drame antique, pg. 69.

2) Cf. Rankii stud. Hes. pg. 19.

cum enim secundum naturam ac rationem arte cum ipsa Promethei fabula cohaereant, fabulam 'Pandorae' quam dicunt ab hoc quidem loco excludere videntur.

Priusquam autem quo iure 'Pandorae' fabula locum teneat quaeramus, de conexu fabularum quibus de primis sacris et de ignis furto agitur quaestionem instituamus. quarum conexum quaerere propterea inutile non erit, quod Welckerus, Koechlyus, Prellerus, Robertus de eo dubitaverunt. secernunt enim viri doctissimi fraudem Meconeam ab ignis furto, quas fabulas ab Hesiodo demum in unam coniunctas esse contendunt. fabulam aetiologicam vetustae Promethei fabulae partem integram ante Hesiodum fuisse negat Welckerus, ni fallor, primus (comment. Theog. 130/1; griech. götterl. I 768). argumenta quibus et Welckerus et ceteri nituntur mythologica sunt. aetiologicam enim fabulam tam vetustae aetatis speciem prae se ferre quam fabulam de igne rapto negant. neque dubium est, quin vetustissimis iam temporibus Prometheus cum igne artissime fuerit coniunctus. talem autem fabulam, quae ad rerum naturam et intellegendam et explicandam pertinet, omnino vetustioris aetatis esse quam fabulas, quae ad explicandas hominum institutiones consuetudinesque inventae sunt, veri est simillimum. sed his in rebus certa argumenta proferre difficillimum est, cum minus fallacem viam praebeat verborum interpretatio. nec ni fallor in ipsis Hesiodi verbis desunt indicia, quibus Hesiodum ipsum harum fabularum conglutinatorem exstitisse veri simile fiat.

De progressu narrationis post versum 557 iam supra egi atque priore narratione sequentem iam praeparari monui. hoc autem facere poetae est nec tali re cetera quibus insistamus vestigia deleri aut obscurari debent. in memoriam tibi revocare lubet Meconam esse, ubi ultimae hominum deorumque convivia fiunt. num etiam ignis Meconae raptus esse dicitur? certe disertis verbis non dicitur. at, dices, semel Meconae nomen afferri satis erat. neque Meyerus aliter iudicat: *deinde*, inquit, *sine dubio alia inter deos et homines dispertiuntur in concilio Mecones: in his homines poscunt nimirum τὸ πῦρ, cuius antea, quamdiu una vixerunt, communis fuerat usus deis et hominibus* .... *recusat* (sc. Iuppiter) *ignem* .... *Prometheus autem haut cunctans furatur ignem ex deorum castris* (l. l. pg. 35). huic sententiae primum sensus prioris fabulae obstare videtur. qua de causa ossa tantum in aris comburantur fabula explicat. huius rei explicandae causa tota de communi hominum deorumque vita et de ultimis epulis fabula inventa est. altera autem fabula nihil explicatur, sed quis ignem hominibus dederit et quae propterea passus sit narratur. quam fabulam ad certum locum referri opus non erat, nec omnino qua de

causa ignis usus hominibus olim non fuisset exponi debebat. causa enim secundum veterum hominum opinionem divina ignis natura erat, ut vidimus. quo modo tamen in terram venisset, hoc explicandum erat. inde sine dubio Promethei, qui iamdudum cum igne coniunctus erat, fabula orta est. nec contigit Hesiodo, ut hanc fabulam cum altera plane coniungeret. primum enim verba *ἐκ τούτου δὴ ἔπειτα δόλου μεμνημένος αἰεὶ*, quae aperte inter se arte sunt coniungenda, longius temporis spatium indicant. praecipue verbo *αἰεὶ* ne de eodem die, quo di hominesque in concilium illud convenerunt, cogites prohiberis. idem comprobatur verbis *οὐκ ἐδίδου*. sane imperfectum '*non temere positum est pro aoristo*', ut Meyerus (pg. 35) dicit. quo autem consilio sit positum aoristo *ἐξαπάτησεν* collato elucet. eodem modo, quo in Promethei fraude narranda aoristo utitur Hesiodus, etiam in Iovis recusatione referenda aoristo uti debuit, si unam tantum recusationem in epulis illis a Iove edictam significare voluit. sic etiam Operum versus 50 aoristum praebet: *κρύψε δὲ πῦρ*, ut initium celandi indicetur. — etiam verba *ἐν ἀνθρώποισιν* idem indicant. dicunt enim: 'apud homines' ignem vidit, hoc est: in terra, ad quam sententiam optime quadrat epithetum verbo *αὐγή* bis adiectum. est verbum *τηλέσκοπος*, quod totam verbi vim non habet, nisi vere ignis procul conspicitur. Iuppiter autem, cum procul, in terra, ignis fulgorem videt, non est Meconae, sed in Olympo, unde in terram despicit. consilio videtur Hesiodus hoc epitheto uti. quibus omnibus aperte indicare videtur poeta, non iam Meconae rem agi. versus 586 autem qui aperte 'Pandorae' originem Meconam refert, ratio hoc loco nulla habenda est, immo et ipse in argumentis est quibus haec pars pristino carmini abiudicatur: id quod infra comprobabo.

Habemus igitur certa indicia, quibus ipsum demum Hesiodum has fabulas in unam coniunxisse comprobemus. neque igitur nugae sunt, quas viri doctissimi de secernendis fabulis aliis ex argumentis excogitaverunt. iam autem refutavi Welckeri et Koechlyi sententiam de Prometheo propter fraudem Meconeam punito. qua in re falsos esse viros doctos et ipsa ratio mythologica et artus conexus ostendunt, in quem Hesiodus has duas fabulas redigere studuit.

Iam redeamus ad Promethei fabulam, quam imperfectam abrumpi vidimus. et ex ipsa fabula et e versibus 613—616, quibus tota de Prometheo narratio concluditur, versus aliquos de Promethei poena omissos esse in aperto est. nec, quamquam versibus 521 sqq. qua poena Prometheus esset affectus narravit, hoc loco fabulam imperfectam abrumpere Hesiodo licuit. 'propter hoc igitur crimen Prometheus a Iove vehementer punitus est' — tale quid subiun-

gendum erat v. 569. — versus 613/16 ad Promethei tantum fabulam pertinere iam vidimus: cum interposita 'Pandorae' fabula nullo modo coniuncti sunt. fieri non potest, quin hac e re versus 570—612 ab Hesiodo esse inventos negemus. atque vere rem ita se habere ex ipsis versibus 570—612 intellegere licet.

Sententia qua sequens narratio incohatur primo quidem aspectu apte eam cum priore conectere videtur, etiamsi versus de Promethei poena periisse intellexerimus. nimirum igne accepto iterum bonum aliquod lucrati sunt homines; iterum Iuppiter malo eos afficit. quod sit malum, cum e versibus 572—589 minus intellegere liceat, unus versus 590 optime explicat. figuram enim quam Iovis iussu Vulcanus fingit, Minerva exornat, primam omnino mulierem esse poeta voluit. prima muliere creata, a qua omnes mulieres genus ducunt, vere malo affecisse Iovem homines poeta inde a versu 592 narrat. mulieres enim virorum vitam deperdunt. prima igitur mulier est quam Vulcanus e terra confingit. statim autem offendimus in verbis *παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον.* quo modo, si mulier omnino nulla antea exstitit, haec mulier ad virginis similitudinem fingi potuit? deinde versus 590 sqq. optime de viris loquuntur, id quod non temere a poeta ita institutum esse intelleges, nisi de prima muliere agi negleges. antecedentibus autem versibus omnino homines malo affici dicuntur. qua in re aeque offendor atque in verbis *παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον.* — neque vero probabilem artem poeticam vv. 570—589 prae se ferunt. primae mulieris originem describere voluit qui hos versus finxit. quid autem Vulcanus finxit? verene mulierem? immo statua e luto ficta et pulcherrime ornata est, quam Iuppiter ad deos hominesque ducit. neque enim ullo verbo Vulcanus figurae etiam vitam, spiritum, vocem dare dicitur, id quod dici oportuit, ut de muliere, non statua aliqua fingenda agi apertum esset. tamen de muliere, non de statua fingenda cogitavit poeta, quamquam facile quis de hac re dubitare possit propterea, quod satis obscure poeta de hac muliere loquitur. dicit enim finxisse Vulcanum *ἴκελον* (v. 572) nomine non adiecto. eandem *καλὸν κακὸν* et *δόλον αἰπὺν* fuisse dicit (vv. 585 et 589). at ne quis hoc vere argumentum esse contendat quo statuam, non mulierem describere poetam comprobare possit, prohibet verbum *ἐξάγαγε* (v. 586), quod etiam apud Homerum nisi de hominibus dictum non exstat. res aperta fit verbis *κόσμῳ ἀγαλλομένην* quae aperte ad mulierem spectant. — ut denique gravissimum argumentum afferam quo Hesiodum horum versuum poetam non fuisse comprobare licet, quam de prima muliere Hesiodus noverit fabulam in memoriam tibi revoco. aperte enim et ita, ut nihil ad totam fabulam intellegendam

desit, de hac re loquitur vv. 512—514. prima mulier Iovis iussu facta ab Epimetheo accipitur, qui hac re gesta viris magno detrimento esse dicitur. at plane aliter versuum 570—589 poeta rem narrat. in hominum enim deorumque concilium prima mulier a Iove ducitur. ergo is qui versus 512 sq. composuit vv. 570—612 ignorabat nec copiosius rem narraturus erat. atque iure Meyerus '*quid*, inquit, *hac venusta virgine οἱ ἄνδρες fecerunt?*' iure ac recte quaerit, tamen minus recte quaestionem absolvere videtur. etsi '*qui poetam audiebant hoc sciebant*' (l. l. pg. 36), poeta primum de 'viris', non de hominibus loqui, deinde quid virgine factum esset exponere debuit. at neutrum fecit, sed ita fabulam narravit, ut vix intellegi possit. quibus omnibus igitur de causis versus 570—612 interpolatos esse censeo. neque igitur Hesiodus sibi ipse est oblocutus, qui versuum 512—514 natura se primae mulieris fabulam non narraturum esse indicavit. neque igitur dubitare licet, quin etiam vv. 590—612 a Theogonia alieni sint, quamquam qui eos invenit consulto ἄνδρας dicit, non ἀνθρώπους (v. 592). hac re vv. 590—612, quamvis arte sint consilio et sensu cum antecedentibus coniuncti, certe ab eorum origine secernuntur. quod autem de eis iudicium ferendum sit, postea videbimus. hoc loco vv. 570—612 in Theogoniam ab Hesiodo non esse insertos satis est intellexisse.

Quod ad singula attinet, versus 576/7 removendos esse Hermannus iam comprobavit. inventi sunt, ut locum versuum 578 sqq. obtinerent. quod autem Rzachius (cf. adnotationem) cum Hermanno versus alii recensioni carminis quam fingit attribuit miror. neque enim post Meyerum de compluribus Theogoniae recensionibus cogitare licet, cum Theogoniam — nempe totum carmen dico — semel retractatam et in eam formam qua nos eam legimus redactam esse comprobaverit. versus 576/7 autem in ipsam interpolationem sunt interpolati. nec aliter res se habet de versu 590 aut 591, cum utrumque unius poetae non esse in aperto sit. sed uter versuum 590 sqq. poetae, uter interpolatori tribuendus est? de hac quaestione iudicium ferre difficile videtur esse: alii v. 590 proscripserunt, ut Hermannus, Goettlingius, Rzachius (ed. altera), alii v. 591 ut Bergkius, Schoemannus, Rzachius (ed. pr.). neque enim auctorum memoria ullum praebetur argumentum: Semonides (fr. 7 v. 94 sq.) qui Hesiodum certe imitatus τὰ δ' ἄλλα φῦλα sc. γυναικῶν affert, versum 591 tueri non videtur, neque Stobaeo auctore v. 590 proscribemus. nulla enim est dubitatio quin Stobaei temporibus iam uterque versus in Theogoniae exemplaribus exstiterit neque mirum est quod Stobaeus alterum tantum laudavit. itaque ipsi versus ecquid argumenti praebeant quaerendum est. atque praestare quidem versus 590 alteri videtur. explicare enim

debuit poeta, qua de causa mulier, quam fictam esse modo narravit, sit *δόλος αἰπύς, ἀμήχανος ἀνθρώποισιν.* duae autem causae ei proferendae erant: primum, id quod nondum aperte dixit, hanc fuisse primam omnino mulierem, a qua ceterae genus ducerent; tum mulieres omnino malas esse, id quod versibus sequentibus large expositurus erat. primam autem causam affert v. 590, alteram v. 592. sin v. 591 genuinum esse contendis, versus 591 et 592 coniuncti offensioni sunt. utroque enim mulieres malae esse dicuntur, cum melior argumentationis progressus efficiatur, si priore versu de prima femina agatur, altero de detrimento viris allato, id quod vv. 590 et 592 coniunctis evenit. v. 591 autem eo consilio mihi videtur inventus esse, ut non solum versus 590, sed versuum 590 + 592/3 locum obtineret, cum id quod compluribus versibus expositum erat in unum versum sit compressum. itaque v. 591 removendus est.

Iam de Theogoniae loco quaestio peracta est, neque inutile erit brevibus repetere, quo modo de tota narratione iudicandum esse viderimus.

Primum ex ordine totius carminis colligere licuit ipsum Hesiodum maiorem de Prometheo narrationem proferre in animo habuisse. genuinam Hesiodi narrationem versibus 526—533 insertis primum turbari vidimus. inde a versu 534 bene procedit narratio usque ad versum 569, exceptis nec non remotis versibus 543, 550—552, 559. duae de Prometheo fabulae narrantur: prior de fraude Meconae commissa, altera de igne hominibus contra Iovis consilium dato. alteram fabulam imperfectam tradi vidimus, uno vel compluribus versibus de Promethei supplicio post versum 569 omissis. conexum inter has duas fabulas ab ipso Hesiodo demum effectum esse praecipue ex alterius fabulae verbis conclusimus. versus de Promethei supplicio, qui versum 569 olim excipiebant, interpolata de prima muliere fabula expulsi sunt. item vv. 613—616, qui bene totius de Prometheo fabulae sensum explicant, ab ipsa fabula secreti sunt, ita ut nunc fabulam de prima muliere excipiant, ad quam non spectant. tota autem de prima muliere fabula ab Hesiodo non est inserta in Theogoniam, sed ab interpolatore aliquo. ipse Hesiodus se hanc fabulam narraturum non esse versibus 512/4 indicavit. unde interpolator fabulam sumpserit, nondum constat; praecipue de versibus 590—612 quaestio nondum peracta est. sed e versuum 570—589 et 590—612 ratione totam partem fortasse duobus poetis attribuendam esse concludere licuit. — denique ipsam interpolationem novis interpolationibus auctam esse intelleximus: removendi sunt vv. 576/7, 591. — vv. 613—616, qui olim cum Promethei fabula arte coniuncti erant, ipsius Hesiodi sunt.

Ad rem mythologicam nondum aggredior, quamquam hoc iam loco res satis graves afferre possim. immo primum verba tradita pertractare lubet. itaque nunc ad Operum interpretationem accedo.

## Caput II.

## De Operum Pandora.

Promethei et 'Pandorae' fabulae apud Hesiodum iterum exstant Operum in versibus 50—150 quibus Promethei fabula breviter indicatur potius quam narratur. commemoratur tantum ignis furtum, quod quo modo Iuppiter ultus sit exponitur: haec altera fabula summa rei est. cum autem in priore commentationis parte de conexu fabulae Promethei cum ipsius carminis argumento et per carminis ordinem et per fabulae initium statim certa argumenta afferre licuerit, in Operum fabula pertractanda res plane aliter est comparata. neque enim id solum quaeritur, quae omnino fabula narretur, quaeve narrationis partes vetustae, quae interpolatae sint, sed etiam id quaerendum est, utrum vetustae fabulae partes ab ipso Hesiodo in Opera, dum modo sint unum unius poetae opus, inserta sint necne. haec enim valde dubia et difficilis est quaestio, utrum Opera unum sint carmen an in complura carmina sint divellenda, id quod, ut exposui, Kirchhoffius nuper comprobare studuit. faciamus autem Kirchhoffium errasse: restat quaestio de Promethei Pandoraeque fabulae origine. itaque haec, ad quam aggredimur, de Operum fabula quaestio arte cum quaestione de ipsius carminis genere, ratione, compositione est coniuncta.

Primum autem solam fabulam pertractabo, quasi carmen sui iuris sit, ut ita dicam, non alius carminis pars, ut interim neque auctorem curem, neque conexum fabulae cum Operum argumento. quod ad auctorem attinet, hanc fabulam cum Theogonia comparare perutile erit: utrum Operum 'interpolator' Theogonia usus sit, id quod viri docti contendere solent (cf. Kirchh. l. l. pg. 47), quaerendum erit necne. postremo de Promethei Pandoraeque fabulae conexu cum ipsis Operibus quaestio tractanda erit, quae sine interpretatione prioris Operum partis institui non poterit.

Accedamus igitur ad ipsam fabulam. incipitur narratio ignis furto breviter commemorato (vv. 50/52). verba *κρύψε δὲ πῦρ* ad Iovem pertinent. Prometheus ignem *αὖτις* furatus esse dicitur, et in Iovis quidem custodia positum: *Διὸς πάρα μητιόεντος*, quem latuit surrepto igne in dolio cavo. verba *κρύψε δὲ πῦρ* ignis usum ademisse hominibus Iovem dicunt, quem Prometheus hominibus reddidit. igne surrepto Iuppiter et ipsi Prometheo et hominibus,

quibus ignem dedit Prometheus, minitatur. 'quamquam, inquit, prudentia omnes superas vel superare tibi videris, imprudenter ignem furatus es. hoc enim facinus et tibi et viris maximo damno erit'. Promethei supplicium indicatur tantum: quo modo Iuppiter eum punisset narrare huius loci non erat. quod autem viris malum dederit Iuppiter, poeta large exponit. 'malum eis dabit, quod omnes amabunt, quamquam ipso hoc amore vitam suam perdent' (v. 57/8). quidnam sit hoc malum, sequentibus statim versibus exponitur. Vulcanum enim mulierem fingere Iuppiter iubet vv. 60 sqq. atque veram mulierem esse quam fingere iubetur Vulcanus in aperto est. neque enim figuram tantum e luto et aqua fingere iubetur, sed figurae etiam vocem vel loquendi facultatem indere. nam per verba *ἐν δ' ἀνθρώπου θέμεν αὐδὴν | καὶ σθένος* dubitare non licet, quin vera mulier sit nova creatura: id quod consulto moneo. simili modo Homerus Vulcani ancillas, quas sibi ipse effinxit, vere vivere dicit verbis: *τῇς ἐν μὲν νόος ἐστὶ μετὰ φρεσίν, ἐν δὲ καὶ αὐδὴ | καὶ σθένος, ἀθανάτων δὲ θεῶν ἄπο ἔργα ἴσασιν* (*Σ* 419/20). qui versus aperte ad Hesiodi exemplum inventi sunt, id quod praecipue e verbis *ἀθανάτων δὲ θεῶν ἄπο ἔργα ἴσασιν* intellegere licet quae, cum 'Pandora' optime divina *ἔργα* novisse dicatur, apud Homerum minus bene cum antecedentibus coeunt, etsi simile de Vulcani ancillis dici oportuit. — etiam pulchritudinem curat Iuppiter. dearum enim immortalium simillimam fieri vult 'virginis iucundam speciem' (v. 63). neque igitur mulierem, sed, id quod non mirabimur, virginem esse novam creaturam dicit poeta. quam accurate totam rem tractet videas quaeso. Minerva muliebria *ἔργα* eam docet, quae ipsi propria sunt. optime hoc Minervae imperatur. nempe est 'Athena Ergane', quae omnino feminas *ἱστὸν ὑφαίνειν* docet (cf. hymn. hom. Ven. 4 sq.). ea est Minerva, cui saepe in picturis fucus attribuitur. etiam Homerus, quae mulieres faciunt, *ἔργα Ἀθηναίης* esse dicit (cf. *Ι* 390, *η* 110, *υ* 72). videas quaeso quam considerate hic Minerva Vulcano adiutrix detur. neque male eis subiungitur Venus, quae non solum capiti dat venustatem, sed etiam amoris desiderium et curas in pectus infundit. aliud enim dat Vulcanus, aliud Venus: Vulcanus, qui totum corpus virginis fingit, in universum pulchritudinem divinam ei dat, sicut Homerus, ut Helenae vel Nausicaae pulchritudinem celebret, dearum immortalium eas similes esse dicit (*Γ* 158, *θ* 457). Venus autem virgini non dat pulchritudinem, qua iam praedita est, sed gratiam, amoris desiderium et curas. quid autem haec dona significent, quae sola Venus dare potest cui propria sunt, Homero iterum collato intelleges. sic enim Iuno adloquitur Venerem (*Ξ* 198):

δὸς νῦν μοι φιλότητα καὶ ἵμερον, ᾧ τε σὺ πάντας
δαμνᾷ ἀθανάτους ἠδὲ θνητοὺς ἀνθρώπους.

ideo igitur etiam Venus Minervae Vulcanoque subiungitur, ut nova illa creatura omnes viros amoris desiderio impleat. (cf. Ξ 215/7.) Iuppiter enim omnes viros amore eius vinci voluerat, quam eis detrimento dare constituerat. — qua de causa mulier illa viris detrimento esset, poeta nondum explicavit. statim autem, ut etiam hoc intellegamus, curat. quartus enim accersitur Mercurius (v. 67/8), qui mulieri quae in ipsius potestate posita sint attribuat: impudentem enim mentem fallacesque mores dat virgini, neque dubium est, quin mulier his donis praedita μέγα πῆμα ἀνδράσιν futura sit. iure et consulto poeta Mercurium improborum morum donatorem facit. astutia enim et fallacia ipse satis superque est praeditus. (cf. *E* 390, *Ω* 109, *τ* 395/7; hymn. hom. Merc. 13, 317; Babr. fab. 57).

Sic usque ad versum 68 omnia non solum apte, sed etiam bene vel optime decurrunt. ubique poetam certo consilio usum esse videmus: neque quicquam scripsit, quod scribere opus non fuerit, neque quicquam, quo ad rem bene intellegendam opus fuerit, omisit, ita ut omnia iam dilucida sint atque facile intellegantur. hanc veram esse artem, magno poeta dignam, nemo facile negabit. nec dubitare licet de sensu fabulae: ἄνδρες sunt, qui magno malo afficiuntur; ἄνδρες hoc ipsum malum valde amabunt. sic voluit Iuppiter. sine dubio prima mulier est, quam effingi, quam pulchritudine, gratia nec non impudenti animo instrui audimus.

Iam autem quae sequuntur minus ad antecedentem narrationem quadrant. iamdudum his in versibus — dico versus 69—82 — offenderunt viri docti atque suo iure eos eiusdem poetae esse cuius antecedentes negaverunt. ita Lehrsius primum censuit, tum Fr. Schoellius (de Pand. Hes. 136 sq.), ultimus Kirchhoffius eandem sententiam de his versibus protulerunt. qua re tamen officio etiam hos versus pertractandi non liberamur. gravissima enim argumenta sicut antecedentes in Theogoniae et Operum narrationibus comparandis praebebunt.

Prima statim verba ὣς ἔφατο non solum dubitationem movent, sed etiam aperte quae rei condicio sit ostendunt. nam post versus 54—58, quibus Prometheum adloquitur, Iuppiter non locutus est, sed poeta rettulit, quae singulis deis mandasset. quo igitur modo verbis ὣς ἔφατο narrationem excipere poeta potuit? nec potuit nec fecit. faciamus autem re vera locutum esse Iovem versibus antecedentibus, ut verbis ὣς ἔφατο recte sermo continuetur: qui sequuntur ne consilio quidem cum antecedentibus conspirant. Iovis

mandata effici narrant; quae autem aliis mandaverat ab aliis nunc efficiuntur, vel qui mandata acceperunt alia nunc atque mandata erant efficiunt. Vulcanus virginem effingere iussus ad dearum immortalium exemplum effingit aliquid — quid sit in obscuro est — virginis pudicae simile. deinde Minerva, quam consulto muliebria opera novam creaturam docere poeta v. 64 narravit, hic cingit eam atque exornat: recte iam Goettlingius verba *ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε 'de veste ipsa intellegenda'* esse monuit; quid autem versibus 63 et 64 collatis eveniat, nisi illic alia Minervae mandari atque hic efficit, non video (cf. Goettl. adn.). — sequuntur Gratiae, Suada, Horae, quae aureas munditias atque florum coronas virgini imponunt. num iussae hoc faciunt? num omnino talibus de rebus locutus est poeta versuum antecedentium? illic consulto Venus ea afferre dona dicitur, quae sola Venus dare potest. hic autem Gratiae, Horae, Suada quod minime ad rem pertinet efficiunt. quas iure ipsam Venerem fere eisdem rebus exornare statuendum est in Cypriorum fragmento 3, 1 *K.* neque dubium esse potest, quin versuum 73—75 poeta, qui hoc nomine vix dignus esse videtur, Cypriorum versus iamdudum ad hunc locum a viris doctis allatos imitatus sit. comparandi etiam sunt hymni homerici sexti vv. 10/11. versum 76 autem non solum cum Bentleio ceterisque removeri opus est, sed etiam quo consilio sit inventus comprobari. interpolator aliquis aperte versum *Ξ* 187 imitatus versum inseruit, ne cum Minerva, tum Gratiae, Suada, Horae exornandi virginem munus susciperent. quod igitur versus 72—75 his deabus distribuunt, a sola Minerva effici voluit: *πάντα δέ οἱ χροῒ κόσμον ἐφήρμοσε Παλλὰς Ἀθήνη*. itaque interpolator versu 76 versus 72—75 expellere voluit. Paleius, qui versum 76 pro uno versu 72 fictum esse iudicavit (ed. pr. p. 15), omnia quae versibus 72—75 Minerva, Gratiae, Horae, Suada fecisse dicuntur, versu 76 uni Minervae attribui neglexit. — Mercurius autem solus quae Iuppiter ei supra imperavit facit; neque vero illa solum mandata efficit, sed etiam vocem addit novae creaturae, cui denique nomen 'Pandorae' dedisse dicitur. nova igitur offensio exsistit. vocem enim Vulcanus 'Pandorae' indere iubetur (v. 61), neque scholiastae differentiam inter verba *αὐδή* (v. 61) et *φωνή* (v. 79) tantam esse concedemus, ut vere alteram Vulcanus, alteram Mercurius dare possit. scholiasta cum aliud esse *αὐδήν*, aliud *φωνήν* statuit nimis subtiliter agit. nam *ἵππος αὐδήεις* (*T* 408) est equus loquendi facultate praeditus. Theogoniae interpolator portenta illa, quae Vulcanus 'Pandorae' vesti intexit, *ζῴοισι ἐοικότα φωνήεσσιν* esse dicit (Theog. 584), ita ut inter verba *αὐδήεις* et *φωνήεις* discrimen statuere non liceat. quid

porro? sit re vera discrimen inter αὐδήν et φωνήν, ut αὐδή significet facultatem loquendi, φωνή autem ipsam vocem, nonne eadem res facultate data loquendi quae voce data efficitur? refutatur igitur scholiastae explicatio qui discrimine illo statuto versui 79 offensionem inesse negat. dicat igitur quisquam ab interpolatoris arte quae qualis sit iam vidimus alienum non esse id nunc Mercurio attribuere quod supra Vulcanus iussus erat facere. cui concederem nisi versus de voce 'Pandorae' danda inter eos versus interpositus esset, qui ad plane aliam rem spectarent. aperte enim versus 77, 78, 80 ea circumlocuntur et amplificant, quae v. 67. dicta sunt. quos qui invenit nescio qua de causa etiam φωνήν hic commemoraverit. immo recte Bentleium Heyniumque, quos Rzachius secutus est, versum 79 removisse censeo, quem posterior interpolator in ipsam interpolationem eodem modo inseruit quo etiam versum 76 insertum esse vidimus. qui interpolator certe, ut versum fingeret, adductus est verbo λόγους (v. 78). at hac ipsa re, quod vox 'Pandorae' data commemoratur, postquam iam mores eius descripti sunt quorum pars etiam αἱμύλιοι λόγοι sunt, versus 79 origo extra dubitationem ponitur. qua re cognita versuque toti narrationi abiudicato bene inter se coniunguntur verba ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι... θῆκε θεῶν κῆρυξ, sicuti supra poeta dixit: ἐν δὲ θέμεν κύνεόν τε νόον... Ἑρμείαν ἤνωγε κτλ. (v. 67). — versus 80—82 nomen afferunt, quod Mercurius feminae iam creatae, ornatae, edoctae dedit. sunt qui vv. 81/2 poetae huius partis esse negent, primusque Lehrsius (qu. ep. 228) nomen 'Pandorae' omnino posterioris aetatis esse contendit atque 'feminam' potius eam vocatam esse:

ὀνόμηνε δὲ τήνδε 'γυναῖκα'.

et profecto de prima femina creata agere poetam vv. 50—68 iam vidimus. tamen Lehrsium non sequemur. immo haec summa est et consilium horum versuum, ut 'Pandorae' nomen afferatur; quam quaestionem in posteriorem commentationis partem removeri opus est. de ipsis autem versibus 69—82 iudicium non ambiguum est. unus versus 71 prohibet, ne totam partem eiusdem poetae esse dicamus, qui antecedentem locum tam prudenter composuit. prima mulier ipsa virgo est neque vero virginis similis, sed dearum immortalium. — tota pars, sc. vv. 69—82, aperte in vicem versuum 59—68 composita est, in ipsam autem interpolationem postea inserti sunt vv. 76 et 89.

versibus 69—82 igitur remotis ad sequentem narrationem aggredimur: Iuppiter dolo illo, quem hominibus se esse comparaturum dixerat, effecto Mercurium ad Epimetheum mittit qui hominibus donum Iovis afferat. bene igitur procedit narratio: versus 83

excipit versum 68. satis habuit poeta quo modo Iuppiter primam mulierem fieri voluisset narrare: mandata Iovis etiam perfici tacere licebat. mulier modo creata — ea enim est *δόλος αἰπύς* — ad Epimetheum mittitur. Epimetheus autem Promethei fratris admonitioni non obsecutus benigne mulierem accipit. ubi autem malum accepit, re vera malum esse donum cognovit[1]. bene narratio procedit. at, dices, qua de causa Iuppiter malum quo viros afficere voluit, ad Epimetheum mittit? re vera quae fuerit inter Epimetheum et viros mortales coniunctio nescimus. exstitisse coniunctionem aliquam versu 88 edocemur. ideo enim Prometheus ne donum aliquod Iovis acciperet fratrem admonuit, ne omnibus mortalibus malum fieret. unus igitur versus 88 coniunctionem inter Prometheum atque Epimetheum et mortales fuisse significat neque de bono narrationis progressu inde a versu 83 dubitare licet.

Epimetheo mittitur prima omnino mulier. narrationem adhuc productam nondum absolutam esse et ex ipsa re et e versu 89 cognoscere licet. nam muliere accepta non solum Epimetheo sed etiam viris mortalibus malum comparari iam v. 88 poeta indicat. neque igitur sine certo consilio ipsum Epimetheum malum acceptum quid sit cognoscere poeta dicit. versus 89 cum quod in universum iam comperimus repetat, ideo aperte est inventus ut ad accuratam explicationem transitum efficeret. explicare debuit poeta, qua de causa mulier illa non solum Epimetheo sed etiam viris mortalibus damno esset. atque rationem et, ut ita dicam, formam explicationis iam in priore narrationis parte quasi delineavit. viros malum, quod Iuppiter eis comparabat, valde amaturos esse dixit, etiamsi malum esset. malum quod effingitur mulier est. neque vero omnes viri omnium temporum — viri futurorum temporum consulto indicantur verbis *ἀνδράσιν ἐσσομένοισι* — hanc unam mulierem amabunt. itaque haec una mulier instar est totius generis muliebris. atque malum quo Iuppiter viros affecit, muliebre genus est. quod quamquam disertis verbis non dicit poeta, tamen addubitare non licet, neque aliter de hac re Schoemannus (comm. Theog. 211), Kirchhoffius (l. l. pg. 45), Meyerus (l. l. pg. 93/94) iudicaverunt. quibus rebus et haec una mulier et totum muliebre genus et Epimetheo et omnibus viris noceant, in universum e versibus 67/68 comperimus: est enim impudenti animo et mendax. his igitur in argumentis versari debuit poeta, si quod in universum iam indicavit expositurus erat post versum 89, qui transitum ad hanc explicationem facit. atque duo sunt, quae poetam

---

1) Verba *ὅτε δὴ κακὸν εἶχ' ἐνόησε* simile est *'Επιμηθέως* veriloquium atque Pandorae v. 81.

expositurum esse ex ipsius verbis concludamus necesse est: primum breviter eum dicturum esse expectamus: „mulier a Iove creata, quam Epimetheus accepit, prima omnino mulier erat, a qua omnes mulieres genus ducunt. atque eodem modo quo Epimetheus quamquam a fratre admonitus hanc mulierem excepit, viri mulieres amant nec amare desinent, qui amor donis Veneris efficitur.“ (haec ultima versibus 57/58 et 65/66 iam exposita hoc loco ideo tantum commemoro, ut sensus fabulae appareat. poetae de prima omnino muliere loqui satis esse potuit.). deinde: „malae autem sunt mulieres. detrimento enim sunt vitae virorum secundum malos mores, quos primae Mercurius dedit“. haec exspectemus necesse est, cum versu 89 adiecto ipse poeta se narrationem producturum esse indicaverit [1]). etiam hac cogitatione prohibemur, ne fabulam ab ipso poeta versu 89 conclusam esse arbitremur. quicunque enim fabulam Operibus inseruit, sive Hesiodus sive interpolator aliquis, certo consilio hoc eum fecisse necesse est. neque vero apparet universa fabulae sententia atque consilium, nisi versibus nonnullis ea quae adumbravi exponantur. qua explicatione adiecta fabulae sententia apparebit atque eo mihi quidem spectare videtur: vitam humanam omnino in peius mutatam esse, summi autem momenti esse laborare viros.

At quae sequuntur valde aliter sunt comparata. ne verbum quidem facit poeta de rebus illis, quas ipse in antecedentibus (praecipue vv. 57/58 et 65/66) significavit. 'antea, inquit, omnibus malis morbisque liberati vixerunt in terra homines (ubi ipsum verbum ἀνθρώπων secundum antecedentia contra exspectationem inferri non temere mihi videor monere. ἄνδρας poetam dicere oportuit). at mulier dolio aperto mala inter homines emittit. inde ab hoc tempore terra malis est impleta; una Spes remansit in dolio illo'. quaenam intercedit ratio inter hos versus et antecedentes? prorsus nulla. neque vero satis intellegi possunt. nescimus qui πίθος sit, quem ἡ γυνή aperuit. nescimus, ubi collocatus fuerit. mulierem, quae dolium aperuit, 'Pandoram' esse fortasse recte e versuum conexu suspicamur, qua de re etiam infra agam. at dubium esse videtur, an haec 'Pandora' prima mulier fuerit. unde omnino venerat dolium?

Tamen versus 90—95 bene decurrunt. omnia ita exponuntur, ut quae nos intellegere non possimus antea exposita fuisse videantur,

---

1) Ne quis malum ex Theogonia notum esse dicat, hic iam praemonere mihi liceat, id quod infra comprobabo: sc. rationem, quae inter Theogoniae et Operum locos intercedit, non ita esse comparatam, ut hoc concludere liceat.

unde hos versus e maiore aliquo conexu sumptos esse concludamus necesse est. carmen illud, quod fingere debemus, id egisse videtur, ut omnia mala ab una muliere in terram delata esse narraret. haec autem res est gravissima, qua plane versus a nostra narratione secernuntur, his quidem versibus mala ab una atque certa muliere apportata esse narrari; neque igitur hic de prima muliere agitur, quae totius generis instar est, neque mulieres omnino malae sunt, sed una mulier olim mala hominibus attulit. proxime igitur accedit haec fabula ad iudaicam de prima muliere. neque enim Eva, quia mulier est, Adamo omnibusque hominibus detrimento est, sed quia contra Dei voluntatem peccavit. plane alia est haec fabula atque quae vv. 50—68 + 83—89 continetur, neque integra est fabula versuum 90—104 — si quidem una fabula his versibus proditur, qua de re dubitatio exsistere potest — sed fabulae vetustae fragmentum, quod interpolator aliquis nobis conservavit. interpolatos enim esse vv. 90—104 ex eis quae dixi manifestum fit. recte hoc exposuerunt Kirchhoffius et Meyerus, qui etiam tota Operum narratione duas fabulas conglutinatas esse perspexit, quarum prior (de prima muliere) usque ad finem non sit perducta, cum alteri desit initium (l. l. p. 94). — an altera fabula omnino fuerit coniuncta cum Epimetheo (et Prometheo) valde dubito. neque enim Epimetheus ullo verbo commemoratur neque, id quod contendere solent, de eius domo agitur. verba enim *ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν* ipsum dolium significant nec, id quod etiam Meyerus arbitratus est, ad Epimethei domum spectant. „remansit, inquit poeta, *ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν* (quos ni *ἄρρηκτοι* fuissent Spes facile perfodisset); ne e ‘porta’ quidem effugere potuit, cum antea iam mulier clauderet dolium’. verbis *οὐδὲ θύραζε ἐξέπτη κτλ.* res manifesta fit: operculum dolii porta dicitur, totum igitur dolium quasi domus est, ubi Spes remanere cogitur, cum malis per malignitatem mulieris illius effugere liceat. sic Proculus quoque qui hanc dicendi rationem vehementer vituperat locum interpretatur: ‘*κακῶς δὲ εἶπεν ‘ἐν ἀρρήκτοισιν δόμοισιν’ ἐπὶ τοῦ πίθου δόμον εἰπών.*’ praecipue autem, ne dicam solis his verbis nisi sunt viri docti, qui usque ad hoc tempus mulieris et dolii fabulam cum Epimethei fabula arte cohaerere contendunt, cuius sententiae fundamentum corruit, si recte verba illa interpretatus sum. unus, ni fallor, Lennepius recte de hac re iudicavit. neque enim propter Epimetheum, qui utriusque fabulae pars integra fuerit, sed propter similem fabularum sententiam coniunctae sunt hae duae fabulae. utraque enim vitam humanam a muliere depravatam esse narrat: altera prima a muliere quae instar est totius generis, altera a certa quadam muliere. neque enim *γυνή* versu

94 commemorata prima mulier videtur esse, sed certa quaedam, cui soli vitae humanae depravatio crimini datur. voce *γυνή* horum versuum poeta ita est usus, ut eum de hac muliere antea verba fecisse necesse sit colligere. — ut huius fabulae sensum explicent, viri docti Babrii fabulam 58 afferre solent quae quamquam aliter est comparata ad idem spectat, quod illa explicare studet: nempe ad vitae humanae depravationem. Babrii autem praestare mihi videtur huic, quae Operum versibus 90—104 traditur: hic enim dolium quod aperitur omnia bona continet, quae dolio aperto ad deos confugiunt una Spe excepta, quae sicut in Operibus ne effugiat impeditur. sensus fabulae hic est: bona in dolium sunt inclusa, ut homines iis fruantur. dum in dolio sunt, bona atque felix vita hominibus est comparata. dolium aperitur: statim effugiunt cetera bona, sola Spes remanet apud homines: *τοιγὰρ ἐλπὶς ἀνθρώποις | μόνη σύνεστι.* quae igitur in dolium sunt inclusa, in potestate quasi hominum sunt: in Operibus autem quae in dolio sunt secernuntur a vita humana. dolio aperto mala irrumpunt in vitam humanam, Spes autem iterum includitur: qua in narratione valde mirum esse videtur, quod una cum malis Spes in dolium inclusa esse dicitur. et offenderunt hac in re iamdudum viri docti inde ab Aristarcho, qui quomodo locum explicare studuerit Proculus ad Op. v. 97 memoriae prodidit. Lehrsius homines Spem, cum in dolium inclusa sit, in potestate sua retinuisse dicit, cui Schoemannus assentitus est. sed mala aperte ideo in dolium inclusa erant, ut secernerentur a vita humana; itaque Spes si in dolio remansit etiam nunc secreta esse videtur a vita hominum, quibus ne sperare quidem liceat secundum hanc fabulam. iis autem qui Spem ipsam in malis numerandam esse dixerunt rectissime iam Aristarchus[1]) et Schoemannus oblocuti sunt. nescio an Goettlingius iure Thucydidem et Sophoclem afferat, ut spem in malis habitam esse a Graecis comprobet. neque enim temere Sophoclem (Ai. 473. Antig. 615) praecipue contra Aeschylum certare mihi videor contendere, qui Spem sane in bonis habuit. conferas Promethei versus 252/4 *K*:

*ΧΟ. τὸ ποῖον εὑρὼν τῆσδε φάρμακον νόσου;*
*ΠΡ. τυφλὰς ἐν αὐτοῖς ἐλπίδας κατῴκισα.*
*ΧΟ. μέγ' ὠφέλημα τοῦτ' ἐδωρήσω βροτοῖς.*

dubium non est quin Aeschylus Spem, quamvis esset *τυφλή*, in bonis, non in malis habuerit. eadem sententia Babrii fabula 58

---

1) *ἀκυρολογεῖν* dicit Hesiodum Spem in malis numerantem. *ἡ γὰρ ἐλπὶς κακῶν οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἀγαθῶν.* sic optime scholium emendavit Hoorschelmannus (act. soc. Lips. IV 332).

profertur[1]: omnia bona diffugiunt, sola Spes apud homines retinetur: in bonis igitur habetur Spes. in Operibus autem Spes in malis habetur. qua de re dubitatio exsistere non potest. qua de causa nescio an non versus 90—104 unam atque integram narrationem contineant. qua in re adhuc omnes consenserunt[2]. immo et ipsi versus 90—104 variarum narrationum reliquias mihi quidem videntur continere. quas ipse Operum interpolator et concinnavit et in Opera inseruit. bene procedit narratio usque ad versum 95. ubi Spes introducitur. alius fabulae fragmentum cognoscere mihi videor. versus 100—104 excipiunt fortasse aliquot versus inter versus 95 et 100 perditos. quibus de uno aliquo singulari malo actum fuerit cui ἄλλα μυρία λυγρά opponantur. sic re vera etiam versibus 90 —104 non unius, sed duarum fabularum fragmenta conglutinata praebentur. sed quin ipse interpolator versibus 90—104 se unam et integram fabulam narrare simulaverit dubium non esse mihi videtur.

Iam Kirchhoffius (l. l. pg. 48) utramque interpolationem, qua vetusta de prima muliere fabula et aucta et commutata est (sunt versus 69—82 + 90—104), arte coniunctam esse suspicatus est, id quod re vera simillimum veri est. hoc enim ex ipsis versibus colligere licet: poeta qui fabulam de prima muliere narravit mulieri nomen neque dedit neque omnino novit nomen. sed nomen exstat in versibus interpolatis. cum autem tota narratio de origine primae mulieris maxima et arte et diligentia sit composita, nomen 'Pandorae', quod in interpolatis tantum versibus exstat, a prima muliere omnino alienum fuisse verisimile est, sicut ne Theogoniae quidem versibus — si Theogoniam hoc uno loco mihi licet afferre — nomen primae mulieris exstat. fuerunt igitur duae fabulae de depravatione vitae humanae: altera qua mulieres omnino virorum detrimento creatae esse dicebantur. hac fabula prima mulier, quae omnium est instar, mala fuisse narrabatur. altera autem fabula uni mulieri vita hominum depravata crimini dabatur. hanc certam fuisse mulierem nomine aliquo praeditam ex ipsius fabulae ratione veri est simillimum. qui hanc fabulam cum altera coniungere voluit, sicuti nunc fabulas coniunctas reperimus, facere non potuit, quin nomen huius mulieris, quod commemorare certe debuit, etiam primae mulieri daret. hac re considerata nonne

1) De Babrii fabula cf. O. Crusius, de Babrii aetate, in stud. Lips. II 210. — haud scio an Babrius praeter Operum narrationem Aeschyli noverit locum supra allatum.

2) Unus Spohnius (Hes. Op. et D. rec. Spohn, Lipsiae 1819) num uni poetae hic locus attribuendus esset, dubitavit (adn. v. 99).

utramque carminis interpolationem — alteram, qua 'Pandorae' nomen memoriae proditur, et alteram, qua fabula de una illa muliere narratur — unius esse interpolatoris iure colligimus, qui versus 69—82 propter versus 90—104 interpolaverit? nomen autem 'Pandorae', quod in reliquiis variarum fabularum ab interpolatore concinnatis exstabat, alio carminis loco commemorari debuit. quod ipsi versus 90—104 quibus pristinam narrationem aucturus erat nomen 'Pandorae' non protulerint, mirum non est. in carmine, quod omnino 'Pandorae' fabulam enarravit, unde fortasse versus 90—95 + 100—104 interpolator sumpsit, vox γυνή Pandoram satis significavit. interpolator igitur, ut fabula satis intellegeretur, in priorem locum carminis versus aliquot (69—82) inseruit, quibus 'Pandorae' nomen traderetur. — errant igitur omnes interpretes antiqui nec non recentes, qui primam mulierem ab Hesiodo Pandoram nominatam esse contendunt. nominis explicatione, quam interpolator adiecit, id videtur egisse, ut coniunctionem inter primam mulierem et 'Pandoram' artiorem efficeret. prima mulier ab omnibus fere dis deabusque hominibus datur, praesertim cum interpolator Gratias, Horas, Suadam de suo addiderit. rectior autem nominis explicatio videtur esse: 'quae omnia dat'. etiam Terra enim *Πανδώρη* vocatur, quae certe ipsa ab omnibus dis deabusque non est donata, sed ipsa omnibus omnia donat.

De singulis haec addam: versus 93, ex Homeri τ 360 sumptus, iam dudum pro interpolatione habetur et recenti quidem, loco simili adscriptus. de versu 95, qui versus 49 simillimus est, postea agam, cum quaestio de his versibus ad rationem spectet, quae inter totam partem mythologicam et ipsa Opera intercedat. — versus 105 totam narrationem concludere et quasi in unum corpus redigere videtur, cum rem ad Prometheum reflectat. at ipsum poetam fabulam, quae praecipue primae mulieris originem narravit, hoc modo conclusisse quis dicat? interpolatoris est: neque enim, cum 'Pandorae' fabula, sicut vetustissimis temporibus exstitit, neque ad Prometheum neque ad Epimetheum spectasse videatur, iure quisquam versum 105 cum hac fabula arte esse coniunctum dicat, ut eum alteri fabulae et carmini deperdito attribuere liceat. ipse interpolator eum invenit, ut interpolationem suam alio e carmine sumptam etiam artius cum genuina Operum fabula coniungeret, quae a Promethei fabula proficiscitur. — versum 99 removendum esse Dimitrijevícius (l. l. pg. 174) iam comprobavit. —

Ut iam de Operum narratione loquendi finem faciam atque disputationem concludam, breviter referre mihi liceat, quo modo tota res sit comparata: exstitit vetusta aliqua fabula de primae

mulieris origine, quam Iuppiter ideo effingi iussit, ut viros qui ignem a Prometheo datum acceperunt graviter puniret. hanc primam mulierem Iuppiter totius generis instar esse voluit. haec fabula, quae quanta arte et consilio sit enarrata vidimus, versibus 50—68 + 83—89 continetur. usque ad finem non est perducta, quamquam ipse poeta se fabulam esse ad finem perducturum versu 89 significavit. at perierunt versus, quibus olim fabula conclusa erat, cum duabus interpolationibus tota narratio aucta sit. exstitit enim altera fabula, qua simili modo atque priore vitae humanae depravatio mulieri crimini dabatur. at aliter atque priore hac altera fabula uni tantum mulieri crimini datur quod priore toti mulierum generi. neque igitur de prima omnino muliere haec fabula agit, sed de certa aliqua, nomine praedita. quae fabula exstitit in vetusto aliquo carmine, unde, qui eam cum priore coniungere sibi proposuerat, sumpsit vv. 90—95 + 100—104. quibus versibus cum versibus 91—94 in unum compositis et ad v. 89 adiectis versus qui priorem fabulam olim exceperunt (quibus qua de causa malae sint mulieres virorumque vitam pessumdent enarratum erat) e carmine ut necesse erat remoti sunt. neque enim duae eiusdem rei diversae explicationes ab uno eodemque poeta inter se coniungi potuerunt. haec altera fabula vv. 90—104 narratur. fabulae deest initium, id quod non miramur. interpolator autem hanc deperditi alicuius carminis partem inseri posse non putabat nisi etiam antecedentibus versibus indicaretur. praecipue autem nomen mulieris, quod in hac parte non exstitit, commemorare necesse erat. invenit igitur versus 69—82, qui id praecipue agerent, ut nomen mulieris afferretur. satis apte hanc interpolationem cum genuina narratione coniungere sibi visus est narrans, quo modo Iovis mandata effecta essent. quantae artis fuerit interpolator ratione ostenditur, qua Iovis mandata effici narrat. interpolatoris igitur sunt vv. 69—82 + 90—95 + 96—98 + 100—104 + 105. versum 105 narrationem conclusurus adiecit. omnino autem — etiam ex interpolatione — removendi sunt vv. 76, 79, 93, 99.

## Caput III.

## Theogoniae et Operum fabulae comparantur.

Theogoniae et Operum locos de Prometheo similitudine coniunctos esse maiore quam quae eodem argumento tractato explicari possit iamdudum observaverunt viri docti. omnes autem in eo consentiunt iudicio, ut singula verba et versus qui in utroque carmine exstant e Theogonia sumpta atque in suum usum con-

versa esse ab Operum 'interpolatore' aperte Theogoniam imitato contendant. nempe Hesiodi esse Operum narrationem negant, qua de re infra acturus sum, neque vero ab Hesiodo Theogoniae narrationem re vera alienam esse viderunt. facile autem fieri potuit, ut Operum narrationis poeta Theogonia iam interpolata uteretur — hoc concedo. nam Theogoniam Operibus vetustiorem esse ex Operum versu 11 concludere licet. etiam Meyerus et Kirchhoffius qui novissimi de hac inter Theogoniam et Opera ratione egerunt notam fuisse Theogoniae narrationem Operum 'interpolatori' iudicaverunt. quo autem modo res se habeat, nisi Theogonia et Operibus accurate inter se comparatis diiudicare non licet. itaque ad hanc comparationem accedamus.

In utroque carmine fabula primae mulieris cum furto ignis arte coniuncta est. Promethei fabulam Operum poeta transeundo tantum atque breviter commemorat, cum celeri cursu ad fabulam primae mulieris pervenire cupiat. Promethei fabula in Operibus sic narratur, ut poetam Theogoniae narratione usum esse difficile sit negare. videlicet quod uterque poeta Prometheum ignem furatum esse dicit *ἐν κοίλῳ νάρθηκι* (Theog. 567, Op. 52) non mirabimur. ferula enim integra fabulae pars videtur fuisse. valde autem narrandi rationem, qua Operum poeta usus est, ad Theogoniae rationem accommodatam esse maioris momenti est. Iuppiter in utroque carmine Prometheum adloquitur: sic autem in antecedentibus quoque Theogoniae versibus Hesiodus narrationem instituit, neque dubium est quin Operum poeta eum hac in re sit imitatus. Prometheus in utroque carmine dicitur *ἐὺς πάις Ἰαπετοῖο* (Theog. 565, Op. 50). Jovis oratio in utroque carmine valde simili versu incipitur: *τὸν δὲ μέγ' ὀχθήσας προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς* (Theog. 558), quem versum Operum poeta sic imitatur: *τὸν δὲ χολωσάμενος προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς* (Op. 53). Operum poetam hac in parte narrationis Hesiodum imitatum esse veri est simillimum — nisi apertum esse dicas. ipse Hesiodus furtum ignis in Theogonia narravit, quae vetustius carmen est. quicunque Operum narrationem invenit — sive Hesiodus, id quod consensu omnium non solum addubitatur, sed etiam negatur, sive interpolator aliquis — Promethei fabulam quae in Theogonia exstat certe novit atque in suum usum convertit. itaque quod in Promethei fabula utroque carmine narrata secundum universam carminum rationem veri erat simile narrationibus comparatis verum esse comprobatur. — hac ratione quae inter narrationes intercedit non prohibemur, quominus ipsum Hesiodum etiam Operum narrationis poetam fuisse contendamus, si modo id ita esse aliunde consequatur. ad sui ipsius carmen alludere ab arte

Hesiodi alienum non erat, id quod praesertim ex Operum versu 11, qui ad Theogoniae v. 225 spectat, cognoscimus.

In Promethei igitur fabula Operum poeta certe Hesiodum imitatur. aliter autem de Theog. v. 559 iudicandum est qui iterum exstat in Operibus (v. 54). (cf. etiam Theog. v. 543). neque enim v. 543 neque v. 559 Hesiodi esse cognovimus propter novam et sane inauditam adlocutionis rationem, quae his versibus adiectis efficitur. at si versuum conexum in Operibus consideraveris, versum 54 ibi non solum offensioni non esse, sed ne posse quidem removeri iudicabis. nulla hic in adlocutione offensio, sed, ut iam supra (pg. 17) exposui, aptissima etiam hoc loco exstat ironia, quam in priore Theogoniae fabulae saepius observavimus. in Operibus igitur ne minimam quidem movet offensionem, cum ex Theogonia vv. 543 et 559 etiam removendos esse viderimus. certe igitur hi Theogoniae versus (543, 559) ad Operum versum 54 inventi et in carmen inserti sunt. hoc autem ad unum tantum versum pertinet: nihilominus in Operibus ignis furtum secundum Theogoniae narrationem narratur.

Promethei fabula in Theogonia abrumpitur v. 569, antequam Prometheum a Iove punitum esse Hesiodus narraverit. subiungitur autem v. 570 ex inopinato fabula primae mulieris quam ab Hesiodo alienam esse intelleximus. totam narrationem usque ad v. 589 a viro vere poeta inventam esse non posse studui comprobare. — versus de Promethei supplicio, qui olim versum 569 exceperunt, aperte altera fabula adiecta expulsi sunt. qui igitur Theogoniae narrationem interpolatione iam auctam imitaretur, ei fabulae ita, ut nos eas legimus, coniunctae enarrandae erant. — contra in Operibus ideo tantum Promethei fabulam narrari vidimus, ut ei fabula de prima muliere a Iove creata subiungeretur. haec est ad quam Operum poeta tendit, quam summa arte ornatam exponit. tamen, etiamsi Promethei fabulam commemorare tantum voluerit, usque ad finem eam perducit, quacum alteram fabulam optime coniungit, cum qua ratione fabulae in Theogonia coniunctae sint valde offenderimus. Promethei poena indicatur tantum verbis *σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα*, sicut eam indicare decebat poetam, qui eam breviter in memoriam voluerit eis revocare, quibus alteram fabulam large expositurus erat. tamen Prometheum punitum esse commemorare non omittit nec cum fabula imperfecta alteram coniungit, id quod in Theogonia factum esse vidimus. ergo, si vere Theogoniam imitatus est, hoc certe de suo eum adiecisse necesse est. — bene Iuppiter: „tibi ipse, inquit, et viris futuris malum comparavisti“. viris enim commemoratis iam transitum ad alteram fabulam poeta

sibi comparavit. „viris autem, inquit, pro igne, quem lucrati sunt, malum dabo etc.“ Theogoniae autem versu 570, qui est Operum versus 57 simillimus, contra exspectationem nova fabula incipitur, antecedente nondum absoluta. accedit quod Theogoniae interpolator, etiamsi fabulam primae mulieris expositurus sit, *ἀνθρώποισι* malum effingi dicit, quod Operum poeta consulto certe *ἀνδράσιν ἐσσομένοισι* comparatum iri dicit. iterum igitur rem, in qua in Theogonia offendimus, 'imitator' correxit. — nec non offendo in Theog. vv. 570 et 571 arte coniunctis. in Operibus enim Iuppiter iure '*ἐγὼ*, inquit, *δώσω*', cum in versibus statim sequentibus ipse deis, a quibus prima mulier effingatur, mandata det. nam ipse Iuppiter, quod fieri iubet, facere videtur vel facit. quid autem de Theogoniae interpolatore dices, qui postquam dixit: *αὐτίκα δ' ἀντὶ πυρὸς τεῦξεν* (sc. *Ζεύς*) *κακὸν ἀνθρώποισι*, non pergit his verbis: „statim autem Vulcanum figuram aliquam effingere iussit“, sed '*γαίης*, inquit, *σύμπλασσε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις*'? neque igitur hic Iuppiter, sed Vulcanus primam mulierem effinxisse videretur, nisi sequerentur verba '*Κρονίδεω διὰ βουλάς*', quibus id sine ullo fere acumine atque quasi nullius momenti sit significatur tantum, quod in Operibus optime exponitur. 'imitatorem' et 'interpolatorem' sic semper rem instituisse, ut imitatio praestaret exemplo, vix credibile est. — sed producamus comparationem. in Theogonia nova creatura ad virginis pudicae exemplum effingitur a Vulcano, nec monere praetermisi, quam inepte res ita constitueretur. cuiusnam virginis similis esse poterat prima mulier, cum ne exstitisset quidem genus muliebre? iterum Operum poeta nobis laudandus est, qui primam mulierem dearum immortalium similem esse factam narrat. nec solum hoc bene instituit, sed etiam optime primam mulierem dicit *παρθενικῆς καλὸν εἶδος ἐπήρατον* (v. 63). ergo, si re vera Operum poeta Theogoniae interpolatorem imitatus est, etiam correxit quaecumque ille parum dextere administraverat. qui sic imitatur, eum ipsum poetam et inventorem dicere fas est, non imitatorem. — deinde: quam consulte Operum poeta et Minervam et Venerem et Mercurium primae mulieri ea attribuere dicat, quae cuiusque naturae propria sint, iam vidimus.! nihil autem consili Theogoniae interpolatori inesse iure contendimus, cum de Minerva dicat: *ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θ. γλ. Ἀ. ἀργυφέῃ ἐσθῆτι.* qua de causa Minervae est feminas ornare? iterum igitur Operum poeta, quae a Theogoniae interpolatore inconsulte et leviter tractata accepit, ipse magna arte expolivit. — nec fugit 'imitatorem' in eo Theogoniae interpolatorem peccasse, quod omnino nihil de malis mulieris moribus diceret, quos tamen primae mulieri inditos esse

dicere debuit, ut vere malum viris dedisse Iuppiter narraretur. nec solum mores neglexit Theogoniae interpolator, sed etiam vitam, quam mulieri dari necesse erat. Operum poeta igitur, cum haec omnia silentio praetermissa esse videret, et Vulcano novum officium dedit: nempe loquendi facultatem mulieri dare, et, cuius hoc sane erat, Mercurium Vulcano et Minervae subiunxit, ut secundum ipsius naturam primam mulierem dolosam et impudentem effingeret. etiam alia re non solum auxit narrationem, quam eum ex Theogonia sumpsisse contendunt, sed eam bene supplevit. Venerem enim mulieri dona quae ipsius naturae respondent dare fecit, ut his donis acceptis mulieres omnibus viris valde amandae essent. quod ni factum esset, facile viris malum a Iove eis comparatum vitare et fugere liceret. at ne hoc quidem Theogoniae interpolator curavit.

Theogoniae versus 571—573 iterum exstant in Operibus: sunt Operum versus 70—72. ergo, inquiunt, Operum poeta Theogonia usus est. sane. ubi autem exstant in Operibus? exstant in ea narrationis parte, quam interpolatori attribuendam esse cognovimus, Theogoniae versibus ne verbo quidem commemoratis. neque enim ceteris argumentis hoc (versus e Theogonia iteratos esse) addere necesse erat, ut totam partem (vv. 69—82) cum antecedentibus coniungi non posse comprobarem. interpolator igitur Operum Theogoniae versus aliquot in suum usum convertit. atque hoc e loco elucet, qua ratione interpolator idem et imitator rem instituat. neque enim ullam versuum antecedentium rationem adhibuit, qui cum eis quos e Theogonia iteravit nullo modo coeunt. — in ipsam Operum interpolationem — versus 69—82 dico — versum 76 postea insertum esse cognovimus, ut versuum 73/75 locum obtineret. Theogonia comparata qua de causa interpolatus sit cognoscere licet. conferas enim quaeso Theogoniae v. 587 'κόσμῳ ἀγαλλομένην γλαυκώπιδος ὀβριμοπάτρης'. ad eius exemplum Op. v. 76 aperte inventus est ab homine aliquo, qui in eo offendebat, quod in Theogoniae narratione neque Gratiae neque Horae neque Suada primam mulierem exornarent, sed sola Minerva, id quod versu 76 pro vv. 73/75 invento et inserto corrigere voluit. — in Theogonia nomen mulieris non exstat — at in Operibus exstat. vetustiorem igitur indolem, inquiunt, prae se fert Theogoniae narratio quam Operum. at nomen Pandorae quoque in his versibus interpolatis exstat. genuina fabula de prima muliere, non de Pandora agit. — in Theogonia mulier a Vulcano et Minerva creata nec non ornata in contionem deorum hominumque producitur. at iam in Promethei fabula narranda ipse Hesiodus de contione illa non agi leviter indicavit.

Operum autem poeta, quem omnia optime instituere per totam narrationem vidimus, mulierem ('δόλον αἰπὺν ἀμήχανον' Op. 83, Theog. 589) a Mercurio ad Epimetheum duci optime narrat. uni enim dari primam mulierem ex qua omnes genus ducturae essent necesse erat.

Iam res dilucida mihi videtur esse. an vere cum Kirchhoffio (l. l. pg. 47) eam dices esse vetustiorem narrationem, quam quod ad artem et sensum attineat omnibus in rebus altera superari vidisti? comparatione perfecta dubium esse non potest, quin Theogoniae interpolator Operum narrationem parum affabre sit imitatus. ne intellexit quidem consilium artemque poetae quem imitari conatus est, unde id evenit, ut quid narrent Theog. vv. 570—599 vix intellegi possit nisi Operibus comparatis. Theogoniae enim interpolator, quid explicare studuerit Operum poeta versibus 63—68 ignorans, narrationem adeo mutavit atque mutilavit, ut de statua aliqua magis quam de femina viva creanda agere videatur. etiam hoc effecit, ut qua de causa mulieres detrimento sint viris vix intellegeremus, nisi vv. 590—612 adiecisset. neque ex eis quidem haec res plane intellegitur: primae mulieris animum pravum fuisse exponere debuit, ut mulieres eas esse quas esse exponit intellegeremus. deinde: qua de causa mulieres essent δόλος ἀμήχανος ἀνθρώποισιν — sc. quia Venus eis gratiam dedit, cui viri resistere nequeunt — non exposuit. videas quam leviter rem tractaverit. — quod iure mirati sumus Theogoniae interpolatorem primam mulierem 'virginis pudicae', non dearum immortalium similem factam narrare, id Operibus comparatis quomodo evenerit videbis. Operum poeta scilicet quod primam mulierem dicit παρθενικῆς καλὸν εἶδος ἐπήρατον, Theogoniae interpolator parum intellexit. ipsis enim usus verbis et antecedentes de deabus immortalibus plane neglegens, in peius convertit optimam exemplaris sui sententiam. qui hos duos locos, alterum rei aptissimum, alterum omni consilio carentem, accurate inter sese contulerit, iam ex eis, ceteris omissis, quae inter Theogoniae et Operum locos ratio intercedat cognoscet. haec est: qui vv. 570—589 (de vv. 590—612 infra disseram) in Theogoniam interpolavit, ut hoc faceret adductus esse videtur Operum narratione qua Promethei fabulam cum fabula de primae mulieris origine arte coniunctam esse cognovit. Operum narrationem imitatus est, tamen ut sibi videbatur ita caute, ut imitationem esse narrationem suam perspicere nemo posset. ideo quae in Operibus Iuppiter singulis deis mandare narratur, ipse Vulcanum et Minervam facere narrat. eadem de causa mulierem non ad Epimetheum ductam esse narrat, id quod Operum poeta consulto ita instituit, sed, ut

haec fabula arte coniuncta esse videretur cum antecedentibus quarum alterius quoque scaenam Meconae esse falso putavit, in hominum deorumque contionem. neglexit autem se ipsum re ita constituta Hesiodo obloqui, qui quam de prima muliere fabulam noverit satis indicat vv. 513/4. imitatus est Operum narrationem, antequam versibus 69—82 + 90—104 interpolatis et aucta et mutilata fuit. hoc ex eo satis cognoscere licet, quod nomen 'Pandorae' in Theogonia non exstat.

Operum autem interpolator versus 69—79 partim e Theogonia sumpsit (Op. vv. 70—72 = Theog. vv. 571—573), partim ad Operum exemplum invenit (ad versus 77, 78, 80 conferas vv. 61, 67/68), partim, qui de gratia et ceteris Veneris donis agunt, ad Cypriorum et hymni Homerici in Venerem exemplum invenit; neque vero versus 80—82 de suo, sed secundum carmen illud deperditum, cuius particulam in Opera inserere voluit, inventos adiecit. propter hos versus (80—82) antecedentes et iteravit et invenit, ut coniunctio cum antecedente narrratione etiam artior videretur esse. de versibus 76 et 79 supra iam satis locutus sum. versibus 90—104 interpolatis illi versus, quibus olim genuina narratio concludebatur, ut necesse erat, remoti sunt. at cum Theogoniae interpolator Operum narrationem imitaretur, Operum fabula non solum nondum erat interpolationibus aucta, sed etiam integra erat nequedum fine carebat, sicut hodie in codicibus et editionibus exstat. hoc e Theogoniae versibus 590—612 cognoscere licet. quos ad versus nunc iterum accedamus quaeso.

Theogoniae versus 590—612 antecedentem narrationem de primae mulieris origine excipiunt. valde autem inter se differre horum et antecedentium rationem artemque nemo non videt. cum enim, ut satis cognovimus, narratio quae antecedit consilio atque arte tantopere careat, ut qua de re agat vix intellegere possimus, haec narratio (vv. 590—612) rei quae tractatur optime adaptata est. exponit enim poeta qua de causa mulieres sint viris detrimento. viri cum apibus comparantur, quae totum per diem, ut victum comparent, laborant. mulieres autem fucorum similes sunt, qui vitam inertem degunt atque victum ab apibus comparatum consumunt (vv. 594—602). neque vero hac sola re mulieres viris malo sunt, quod divitiarum tantum quas viri parant participes sunt neque laborum, sed etiam alterum malum Iuppiter viris dedit (vv. 602—612): ne is quidem vitam felicem degere potest, qui malum illud effugiens matrimonium non ineat. qui enim matrimonium non inierit, senex gratissima coniugis cura carebit, hereditate autem alieni, non filii fruentur. ne ei quidem, cui contigerit ut bonam

uxorem habeat, semper feliciter vivere licebit. si enim filii ei improbi erunt, usque ad mortem maerore conteretur neque facile hoc gravissimum malum feret. sic optime poeta qua de causa mulieres viris semper malo sint exponit atque optime a nullo viro evitari posse hoc malum exponit. totius loci sententiam mimime perspexit Peppmuellerus ('Hesiodos, ins deutsche übertragen' p. 62, 126 v. 602). neque enim Iuppiter cum malo bonum aliquod coniunxit, sed ἕτερον πόρεν κακόν (v. 602). haec dilucida atque consulta disputatio valde abhorret ab interpolatoris illius narratione, qui quem imitari conatus est ne intellexit quidem. neque cum fabula antea narrata hi versus satis coeunt. sic enim tantum intelleguntur, si antea primum aperte de prima muliere creanda vel creata agatur, deinde si hoc quoque dictum sit, omnes viros hoc malo a Iove affici. quam utramque rem interpolator mimime exposuit. itaque fieri non potuisse concludimus ut Theogoniae interpolator ipse hos versus invenerit, qui cum antecedentibus, quos ipse alium imitatus composuit, coniungi non possunt. quod igitur de his versibus in Theogoniam interpolatis iudicium feremus? neque enim hoc addubitare licet, quin et ipsi sint interpolati, cum Hesiodus fabulam de primae mulieris origine in Theogonia certe non narraverit. duplici modo fieri potuisse dices, ut hi versus Theogoniae interpolationi adicerentur. aut post priorem interpolatorem, quem non satis muneri parem fuisse intelleximus, alter exstitit, vir vere poeta, qui narrationem male inchoatam optimis versibus adiectis concluserit. aut idem Theogoniae interpolator, postquam antecedentem narrationem composuit, hos versus alio e carmine sumptos ipse adiecit, iterum quam parva coniunctio exstaret inter suam ipsius narrationem et hos versus neglegens. tertium non datur. at alterum etiam interpolatorem Theogoniae hoc loco exstitisse veri non est simile. nec potuit quidem alius aliquis narrationem sine ulla arte confectam talibus versibus concludere, quorum sententia tales ad res spectat, quales antecedentibus expositae non sunt. idem igitur interpolator, qui versus 570—589 pro viribus suis composuit, etiam vv. 590—612 adiecit, quos sane ipse non invenit, sed aliunde sumpsit. unde autem? nonne eum, qui antecedentibus Operum narrationem imitatus est, ex Operibus quoque hos versus sumpsisse veri est simillimum? sed quod est veri simile, verum sit necesse non est. etiam comprobare hoc posse mihi videor. conferas enim quaeso Operum fabulam vetustam, quam solam novit Theogoniae interpolator. statim in fabulae initio et mulierem creaturum esse Iovem indicatur et tales creaturum esse mulieres quales omnibus viris quamvis nocentes amabiles futurae sint. (vv. 57/8). quod fa-

bulae initio indicatum sequentibus versibus, ut vidimus, apertum fit: mulier creatur prima, a qua totum muliebre genus pendet. hac de re dubitare non licet, quamquam ultimis fabulae versibus (83, 89) id quod creatum est *δόλος αἰπύς* tantum et *κακόν* dicitur. hoc ita instituere poetae sane licuit, qui rem iam antea ita exposuerit, ut dubia esse non posset [1]. nec solum primam mulierem creatum iri indicant vv. 60—64, sed etiam omnibus eam fore amandam indicant vv. 65—66, ut exposui, nec desunt versus, qui mulieres improbas et dolosas esse probent (vv. 67/68). hae autem sunt res, quas expositas esse necesse erat ea narratione, cui adicerentur versus, qui Theogoniae narrationem concludunt (590—612). quos versus si hoc loco iterum accurate perlegeris nec bonam eorum rationem nec denique sensum neglexeris, dubium iam non esse poterit, quin olim exceperint Operum v. 89. ipsis his versibus adiectis id demum efficitur, ut totius fabulae sensus atque consilium appareant, cum id ipsum proferant quod supra (pg. 33) exponi necesse esse vidimus. atque his demum versibus adiectis tota fabula ad carminis argumentum ita accommodata est, ut qua de causa Operibus inserta sit intellegamus: nempe et carmen et fabula de laboribus necessariis agunt. habemus igitur, quamquam alio loco traditos, ipsos versus quibus Operum poeta narrationem suam de primae mulieris origine conclusit. nec audacius me hoc contendere dices, si etiam ad hoc animum adverteris: Theogoniae interpolator usus est Operum narratione eis temporibus, quibus versus 69—82 quidem certe nondum erant interpolati. hoc ita esse ex eo apparuit, quod nomen Pandorae, quod his versibus traditur, in Theogoniae interpolatione non exstat. deinde autem arte inter se esse coniunctos vv. 69—82 et vv. 90—104 cognovimus. eidem interpolatori certe attribuendi sunt iterum propter Pandorae nomen, quod allatum esse debuit, antequam fabula Pandorae narraretur, praecipue cum in ipsis versibus aliunde sumptis non exstaret. ergo cum Theogoniae interpolator Operum narrationem in suum usum converteret, non solum non aucta exstitit versibus 69—82, sed etiam integra. conclusio enim fabulae versibus 90—104 demum adiectis remota est. de hac re igitur dubitare non licet, quin omnino potuerit ipsam Operum conclusionem iterare Theogoniae interpolator. atque hac quoque cogitatione comprobare mihi videor Theogoniae vv. 590—612 ipsam esse illam fabulae

---

1) Aliter de Theogoniae interpolatore iudicandum est, qui rem tam obscure tractavit, ut apud eum verbis *καλὸν κακὸν* (v. 585) et *δόλον αἰπύν* (589) dubitatio etiam augeatur.

conclusionem, quam vv. 90—104 ex Operibus remotam atque deperditam esse supra doluimus. gaudeamus igitur atque maximas agamus gratias Theogoniae interpolatori, quod vetustae fabulae de prima muliere in integrum restituendae facultatem nobis dedit.

Ut omnia complectar, inseruit aliquis — nam Hesiodi esse Operum partes mythologicas omnes negant — in Opera fabulam de primae mulieris origine. ipsam fabulam enarravit vv. 50—68 + 83—89 (vv. 69—82 + 90—104 postea additi sunt). adiecit autem fabulae versus aliquot, quibus fabulae sensum explicavit. hos versus servavit nobis Theogoniae interpolator versibus 590—612. in Opera nobis restituendi sunt, ut integram fabulam habeamus. quae ratio inter Theogoniam et Operum versus 50—68 + 69—82 intercederet, supra exposui.

Hac re absoluta liceat mihi in animum tibi revocare Theogoniae versus 511/4 quibus ipse Hesiodus Epimethei fabulam breviter nec non dilucide significat. de Epimetheo hanc fabulam novit: Epimetheus primam mulierem Iovis iussu effictam in domum et matrimonium recepit (ὑπέδεκτο). hac re gesta viris κακὸν γένετο. quibus cum versibus cum Operum vetustam narrationem contuleris, nihil aliud quam quod Theogoniae loco Hesiodus significavit eam narrare videbis. nulla omnino differentia intercedit inter hos versus, quos Hesiodi esse nemo negat, et Operum narrationem. quin etiam in re pusilla ambo loci inter se consentiunt. eodem enim modo, quo Hesiodus primam mulierem γυναῖκα παρθένον dicit, Operum poeta παρθενικῆς καλὸν εἶδος ἐπήρατον a Vulcano fingi narrat. vides quam inconsulte Muetzellius (p. 481) versus 513/4 removendos esse contendat propter verbum παρθένον. eandem fabulam Operum poeta narrat quam Hesiodus adumbrat. idem Operum poeta in Promethei fabula, quam breviter commemorat, narranda Theogoniae narrationem imitatur. certe igitur qui fabulam de primae mulieris origine cum Promethei fabula coniunctam in Opera inseruit, Theogoniam bene novit, cum etiam parva in re huius carminis rationem haberet. ipsis Theogoniae versibus Hesiodus indicare nobis videbatur se in Theogonia quidem fabulam primae mulieris narraturum non esse. at e Theogoniae comparatione (511—514) cum vetusta Operum fabula hoc concludi nequit, ne in Operibus quidem Hesiodum hanc fabulam protulisse. contra optime ad fabulas inter se consentientes quadrat, ipsum Hesiodum hanc fabulam quae a Theogoniae argumento certe aliena erat — an mulieris originem ad deorum γένη pertinere dices? — ipsum Hesiodum, aio, hanc quam novit fabulam in Operibus narrasse. ab Hesiodo non esse alienum ut suum ipsius carmen in altero

commemoraret, ex Operum versu 11 notum est. nec narrationes mythologicas etiam alteri carmini inserere ab Hesiodi arte, qui tantum carmen mythologicum composuerat, abhorrebat, si modo fabularum sensus cum argumento carminis congruit.

At profecto rem ita esse constitutam iure negabis, si cum Kirchhoffio Opera et Dies vere unum et continuum carmen esse negas. priusquam igitur de Operum fabulae auctore certum iudicium proferre liceat, an Kirchhoffius recte Opera et Dies compluribus e carminibus composita esse contenderit quaerendum est. ad hanc igitur quaestionem gravissimam accedamus.

## Caput IV.

## De Operum Compositione.

Kirchhoffius libro, cui inscripsit „Hesiodos' mahnlieder an Perses“, Opera et dies compluribus e carminibus composita esse comprobare studuit, arte quidem argumento sive simili sive eodem inter sese coniunctis, neque vero recte conexis neque ita continuatis, ut sententiarum ordo apte procedat. alterum igitur argumentum quo Kirchhoffius nititur ad formam carminis attinet, quod parum in unum quasi corpus redactum comprensumque esse observat, alterum ad singulorum 'carminum' sententias. cum enim totum carmen cum Hesiodi fratrisque vita arte coniunctum esse intellexerit, duo 'carmina', septimum scilicet (vv. 293—313) et octavum (vv. 314—694), argumento et ab antecedentibus diiungi neque inter ipsa coniuncta esse contendit. singula 'carmina', quibus Hesiodus id maxime agit, ut et Persen fratrem et reges a litibus iniquis revocet et fratrem ad agrum colendum impellat, in foro Ascraeo vel Thespiensi poetam pronuntiasse dicit, postea autem, cum iam quod voluisset effecisset, ea in unum collegisse prooemio (vv. 1—10) anteposito. quo pacto rem se habere quam sit veri simile ipse iudices, cum carmina e conexu soluta nec concinna evadant et ambitu admodum diversa. haec autem sunt Kirchhoffii 'carmina': I. vv. 11—48. II. vv. 202—212. III. 213—247. IV. vv. 248—269. V. vv. 270—285. VI. vv. 286—292. VII. vv. 293—313. VIII. vv. 314—694 interpolationibus exceptis. quibus poetam prooemium praeposuisse dicit (vv. 1—10). prooemium nulli omnino carmini nisi Operibus aptum esse et ipse Kirchhoffius observavit et post eum Leo in 'Hesiodeis' ita comprobavit, ut dubitare de hac re non iam liceat. prooemio enim totius carminis argumento praeluditur, cum et ad reges spectet, qui ius curvent, et ad Persen, qui iure curvato frui cupiat. ita autem verbis obscurioribus quasi

velatur prooemii sententia, ut nemo nisi ipse carminis auctor tale prooemium carmini praemittere potuisse videatur. duo autem sunt carminis argumenta: alterum quod ad *ἔργα* attinet poeta cum versibus prooemium statim sequentibus indicat, tum altera carminis parte exponit. quae altera carminis pars versibus 268 sqq. incipitur, qui quomodo et cum totius carminis argumento et inter se sint coniuncti Leo ita exposuit, ut dubitatio non relinquatur (pg. 17 sqq.). quibus versibus explicatis tota quaestio, quae ad duas carminis partes bene inter se cohaerentes pertinet, expedita esse videtur. restat autem, ut quomodo priora Kirchhoffii 'carmina' inter se cohaereant et num omnino sint 'carmina' priva quaeramus.

Prooemii sententia ad reges maxime vel iudices spectat. v. 10 poeta ad Persen fratrem se convertit, quem sequentibus versibus admonet, ne malam Eridem sequatur; multo meliorem esse hominibus bonam Eridem quae etiam inertem ad labores suscipiendos incitet. quibus de rebus usque ad v. 24 generaliter disserit, easdem versibus usque ad v. 39 plane exponit, ut manifesta fiat duplex fratris adhortatio: 'noli, inquit, sequi malam Eridem, quae te laborare non sinit. bonam potius Eridem sequaris, qua adductus etiam litibus vacare desines atque id ages, ut res tibi labore crescat. maiorem quam licuit partem hereditatis iniustorum iudicum ope arripuisti. noli iterum sic agere, cum pauper sis (id quod dicunt vel significant vv. 30/31). nec solum iniusti sunt iudices illi, sed etiam stolidi. ignorant enim quanto plus sit dimidium toto nec sciunt, quanti intersit etiam malvam asphodelumque habere'. prior sententia (v. 40) ad ipsum fratrem poetae aperte spectat: plus enim dimidia parte habere voluit: nactus est — sed cum iam dives esse sibi videretur, laborare desiit, ita ut nunc non solum dives non sit, sed etiam pauper (cf. v. 30/31). nec secundum Iovis voluntatem Perses sine laboribus a regibus dives factus est, — id quod dicit v. 41 —: magni enim momenti est malvam quidem labore sibi comparatam habere, cum sine laboribus vitam humanam esse di noluerint. celaverunt enim in terra 'frumentum' — sic vox *βίος* et v. 31 et v. 42 et alicubi in Operibus est interpretanda —, celaverunt in terra, ne sua sponte nasceretur, sed ab hominibus laborando coleretur. versibus igitur qui v. 41 excipiunt redit poeta ad sententiam quam iam vv. 28 et 34 (*σοὶ δ' οὐκέτι δεύτερον ἔσται ὧδ' ἔρδειν*) protulit, explicationis causa. 'nec temere, inquit, ut agro colendo te des, admoneo te. ita enim ipsi di vitam hominum constitutam esse voluerunt, ut laborandum sit'. v. 45 autem etiam alteram victum parandi rationem significat: navigationem, scilicet cui mercatores se dedunt. ergo hic iam utrumque carminis

extremi argumentum significat, cum tempora et agriculturae et navigationis postea sit expositurus. Kirchhoffius hoc casu factum esse contendat necesse est; sed iure agit, qui certo poetae consilio hunc sententiarum conexum attribuendum esse censet. neque de Hesiodo ipso auctore versuum 42 sqq. cum propter versuum indolem tum propter ipsum v. 45 dubitare licet. etiam alia res statim in hoc primo, quod dicit Kirchhoffius, 'carmine' monenda est. qui enim hoc et sequentia 'carmina' attento animo comparaverit, ei quae et quanta differentia inter primum et sequentia 'carmina' intercedat apparebit. nimirum ceteris Operum 'carminibus', quae Kirchhoffio partes ex se aptae esse videntur, sive Persae sive regibus una tantum res varie exponitur, scilicet iustitia in rebus humanis opus esse, deinde postquam transitum fecit ad alteram carminis partem, de laboribus tantum loquitur. his autem versibus (11—48) utrumque carminis argumentum, quod ad Persen attinet, significatur, scilicet: et iustitia et laboribus opus esse. quae differentia ad totius carminis structuram pertinet. respondere enim videtur haec carminis pars (vv. 11 sqq.) prooemio. quod quidem non solum prooemiandi causa compositum est, ut Leo iam significavit, sed ipso prooemio iam alterum carminis argumentum profertur: cum Iovis adlocutione optime coniuncta est obscurata iudicum significatio, quos etiam in ipso carmine poeta increpat. v. 10 denique ad Persen fratrem praevertitur; cui quid dicturus sit, primum per Discordiam duplicem significat, tum (inde a v. 27) apertis verbis exponit. sic etiam versibus 11—48, qui ipsi in duas partes secernuntur, argumento occupato quidem sed nondum incohato ad totius carminis argumentum alterum significandum utitur. — haec ratio inter hos versus et sequentia Kirchhoffii 'carmina' intercedit, qua cognita de compluribus 'carminibus' ne cogitemus nescio an impediamur.

Tota parte mythologica hoc quidem loco praetermissa iam ad secundum Kirchhoffii 'carmen' accedimus, sc. ad versus 202—212, qui ad reges pertinent. fabula utitur Hesiodus, ut quo modo res gerant regibus dicat, et ipse Kirchhoffius hoc 'carmen' ad easdem res pertinere quo primum quoque 'carmen' concedit. quam consulto autem nunc ad reges se vertat, noli quaeso neglegere. optime enim hic ordo respondet prooemio ipsi et versibus quos modo interpretati sumus. etiam illic reges primos adhortandos esse significat, tum demum fratrem. si cum Kirchhoffio hos versus secundum 'carmen' esse dicas, versus 11—48 primum, vere mirum est, quod Hesiodus inverso ordine rem tractat neque ullo verbo sicut regum etiam Persae ante ipsam rem tractatam mentionem facit. immo

etiam ex eo, quod v. 202 poeta reges compellare incipit, antecedentium versuum generalem esse sententiam iure colligere licet. offendit autem Kirchhoffius in conexu versuum parum aperto. qua de re hoc dicendum videtur: iam versibus 1—48 se vicissim et Persen et reges moniturum esse poeta significavit. quo consilio capto ne potuit quidem, ut mihi quidem videtur, ita carmen componere, ut conexum aliquem continuum prae se ferret, quem Kirchhoffius flagitat. cum argumento carminis arte coniuncta esse debet ratio componendi atque disponendi, et Hesiodus primus tali in argumento versatus pro viribus suis rem instituit. et reges et fratrem admonere in animo habuit. itaque hanc formam, qua eum usum esse videmus, consilio suo maxime accommodatam esse arbitratus est: nempe vicissim reges et Persen adlocutus est. qua re ita constituta consequens erat, ut ipsum carmen complures in partes facile dividi posset, quas privas esse facile aliquis — primo quidem aspectu — crederet. nempe priusquam ad alterum admonendum se verteret poeta, alterorum adhortationem aliquo modo terminare debuit. secernendae igitur magis quam coniungendae carminis partes ei erant, id quod nominibus antepositis et vocula δὲ semper in novae partis initio collocata effecit. hoc ferme modo f o r m a m carminis, quam sane miram esse dicis, explicemus necesse est. quod argumentum non hoc solum loco contra Kirchhoffium valere arbitror, sed omnino contra viri docti opinionem. sane accipitris fabula privum carmen esse potest. neque enim 'reges' solos docet, sed omnes, quicumque invalidis vim adhibent. sed cum Operum argumento aperte coniungitur versu 202 neque id Kirchhoffius addubitat. immo etiam ad eandem rem, quae versibus 35/6 significatur, hos versus pertinere concedit. itaque si sequentia 'carmina' non carmina priva, sed unius et continui carminis partes esse cognoverimus, ne de hoc quidem 'carmine' cum ceteris coniungendo dubitabimus. quod quominus faciamus neque forma neque sententia fabulae nos prohiberi hoc quidem loco satis est statuere.

Sed antequam ad versus sequentes accedamus, de fabula interpretanda verba faciamus necesse est, cum etiam hac in re Kirchhoffius cum ceteris inde ab Aristarcho errasse videatur. agitur de vv. 210/1, quos etiam Rzachius interpolatos esse contendit. qui si vere id agerent ut fabulae sensum explicarent, id quod viri docti contendunt, certe interpolationis loco habendi essent. quid autem dicunt? 'stolidus ille, inquit poeta, qui contra eum certare conatur, qui viribus praestat: praeter cladis ignominiam etiam doloribus afficitur'. ipse Kirchhoffius eum qui his versibus fabulam explicare

studuerit, ne intellexisse quidem fabulae sensum vidit. ergo, inquit, cum certe explicationis causa sint inventi, removendi sunt. at ne inserviunt quidem explicationi, qui si vere ἐπιμύθιον essent vel γνωμολογία, post v. 212 positi essent. sic enim Lucianus (Bacch. cp. 8): 'ἐπάγεται ἐπιμύθιον', i. e. subiungitur fabulae sententia, vel Apthonius: 'τὴν δὲ παραίνεσιν, δι' ἣν ὁ μῦθος τέτακται, προτάττων μέν, ὀνομάσεις προμύθιον, ἐπιμύθιον δὲ τελευταῖον ἐπενεγκών' (progymn. I, rhet. gr. I 60₈ W). itaque quo loco positi sunt versus non id agunt, ut fabulam explicent, praeter sententiam a fabulae sententia alienam. accipiter autem, cuius in potentiam luscinia redacta est, bene hos quoque versus pronuntiat. postquam enim lusciniae vim ac libidinem indixit, etiam se iure agere contendit: iure enim eum qui viribus praestet vi in minores uti. sic irridet lusciniam. optime autem hi versus adiecti tibi videbuntur, si ad totius fabulae sensum animum adverteris. fabulam se non esse explicaturum Hesiodus primis verbis significat (φρονέουσι καὶ αὐτοῖς), sed ipsos reges fabulam explicare et intellegere vult. hic autem aperte est fabulae sensus: 'eodem plane modo, quo accipiter erga lusciniam se gerit, eodem modo vos, iudices, erga me vos geritis'. ipse enim Hesiodus est ἀοιδός (v. 208)[1]. 'quid autem de accipitre iudicabitis? nonne foedissime se gerit? idem autem iudicium de vobis valet. caveatis igitur, ne contra ius in me consulatis, ne vos ipsos aeque contemnant homines ac vos accipitrem. etiam vos viribus mihi praestatis sicut lusciniae accipiter. videtis autem, quam male, si hac potentia utemini, iustitiam curabitis'. hunc fere in modum iudices intellegant fabulam cupit Hesiodus, quam in sententiam optime quadrant vv. 210/211. dubium non est quin consulto ipse Hesiodus eos fabulae adiecerit.

Fabulam accipitris etiam e carmine solutam intellegi posse vidimus. plane aliter autem de tertio Kirchhoffi 'carmine' res se habet, id quod e primo statim versu cognoscitur: ὦ Πέρση, σὺ δ' ἄκουε δίκης μηδ' ὕβριν ὄφελλε. neque solum adloquitur Persen fratrem Hesiodus, sed verbo δὲ addito versus sequentes cum aliis quibusdam componi significat. itaque evenit, ut non modo arte cum antecedentibus cohaereant, id quod nemo non videt, sed etiam omnino non intellegerentur, si ea, quae antecedunt, desiderarentur. ad iustitiam revocavit iudices, cum iniuria quid sit fabula narrata significaverit. iam iniuriae iustitia opponitur atque accipitri, i. e.

1) Nescio an consulto Hesiodus ἀηδόνα καὶ ἀοιδὸν ἐοῦσαν ab accipitre capi dicat, ut ad nomen suum 'Ησίοδον alludat, quod cum vocibus ἀηδών et ἀοιδός arte cohaeret (cf. Solmsen, unters. z. gr. laut- und verslehre pg. 238).

iudicibus, Perses. verba igitur σὺ δ' ἄκουε δίκης aperte ad id spectant, quod modo exposuit. quo pacto enim poetam novum 'carmen' verbis supra allatis incipere potuisse dices? quibus ipsis sententiarum et conexus et progressus indicantur, vocula δὲ aperte ad antecedentia spectat. cum autem his versibus quid iure curvato non solum singulis sed etiam toti populo usu veniat exponat, ut Persen quoque ad iustitiam revocet, nihil aliud facit, quam quod se esse facturum vv. 35/36 indicaverat. itaque hi versus non solum cum eis quos excipiunt bene cohaerent, sed etiam cum totius carminis argumento. supra fratrem ab iniuria revocavit propterea quod nemini nisi diviti tempus in causis terere liceret. alteram iam causam hic affert. non solum sibi ipse qui iniuria alterum afficit vel affici sinit detrimento est — hanc enim sententiam proferunt vv. 214/6 —, sed etiam toti civitati. hic est sententiae progressus. vv. 217/8 autem iterum ad accipitris fabulam spectare videntur. cum antea ipsos iudices intellecturos esse speraverit, quem ad modum erret accipiter qui vim iuri praestare contendat, hoc loco Persae 'iustitia, inquit, valde antecellit superbiam. sola enim iustitia ἐς τέλος perveniet, id quod stolidus ipse experietur'. — qua sententia versus sequentes cum his coniuncti sint, ipse Kirchhoffius (pg. 54/5) optime exponit, ut Lehrsium refutare iure supersedeamus, qui versus inde a v. 219 ad reges magis quam ad Persen spectare falso contendit (qu. ep. pg. 239). — versibus 225—237, quibus iustitiae non neglectae exponit eventum, aperta inest ratio alterius carminis argumenti. 'ubi ius non curvatur, inquit, maximo cum fructu coluntur agri'. itaque iustitia quoque homines ad labores libenter suscipiendos impelluntur, cum iustis hominibus opulentiae praemium praetendatur. neque vero hic alteram victus comparandi rationem neglegit, quam et supra significavit et in posteriore carminis parte quamvis breviter tractaturus est: navigationem (v. 235/6). sed etiam hic se navigationem et mercatum agricultura minoris aestimare aperte dicit. quam consulte etiam in pusillis totam rem agat, hinc intellegere licet. ubique totius carminis argumenti rationem habet.

Neque igitur conexus cum antecedentibus deest neque alia in re versatur poeta atque quam priore carminis parte significavit. immo optime cum carminis argumento hos quoque versus congruere dicemus, ut de 'carmine' privo cogitare non liceat.

Idem iudicium in Kirchhoffii quartum quod dicit 'carmen' valet, i. e. in versus 248—269. neque enim Kirchhoffius hoc 'carmen' eadem aetate inventum esse atque antecedentia neque ad easdem res spectare negat (p. 56). progrediuntur autem sententiae hoc

ordine: iam ultimis versibus, qui ad Persen spectant, singulorum iniuriam etiam toti populo obesse exposuit. quod ita esse iure his versibus, quibus reges adloquitur, commemorat, quos cum primum adlocutus esset eo tantum consilio ab iniuria revocavit, ne ipsi detrimento atque dedecore uterentur. multo maioris autem est momenti reges iustos populo prodesse, reges iniustos populo obesse. totius populi igitur servandi causa reges iustitia utantur necesse est: *quidquid delirant reges, plectuntur Achivi* — hoc Horati recte affert Rzachius, ut totius loci sensum explicet. hac sententia inter se coniunguntur hoc et antecedens Kirchhoffi 'carmen', quae sicut antecedentes aperte inter se opponuntur. opponere autem magis quam expressis verbis coniungere singulas partes debuit Hesiodus, cum Persa et regibus vicissim admonitis carmen producendum sibi proposuisset. Persen antea se adlocutum esse hoc quoque loco aperte significat verbis 'ὑμεῖς δὲ καταφράζεσθε καὶ αὐτοὶ τήνδε δίκην' (v. 248/9), quae verba nisi ad Persen modo admonitum spectarent intellegi nequirent. verbis 'τήνδε δίκην' adiectis se in eadem re versari insuper significat de qua dixerit. de versibus 261/2 quos Lehrsius removendos esse censuit Goettlingius, Schoemannus, Kirchhoffius quomodo sit iudicandum significarunt. neque enim, ut Lehrsius iudicavit, *inepti* sunt, cum *hic reges admoneantur et deterreantur*, sed ne possunt quidem omitti: id enim agunt, ut reges, ne iustitia neglecta toti populo male consulant, deterreant. hac praecipue sententia, ut exposui, haec carminis particula cum antecedente coniungitur, ut ipsum acumen versibus 261/2 remotis toti loco adimi videatur. vv. 263/4 hanc regum admonitionem aperte concludunt. tamen Kirchhoffius 'carmini' suo addit etiam vv. 265—269, quorum priores, sc. vv. 265/6, iure removendos esse censet. proverbium est quod similibus verbis expressum etiam a Plutarcho (de sera num. vind. 9), unde in Anthologiam Palatinam pervenit (IX 183$_{5}$), et a Callimacho (frg. 222 Schn.) traditur. hoc loco certe sententiarum conexum interrumpit. vv. 267—269 si 'carmen' concludunt, versuum 263/4 sententia atque vis certe imminuitur. nihil aliud enim his versibus profertur atque vv. 258—262, concludendi autem vis plane his versibus deest. multo aptior ad partem carminis vel 'carmen' concludendum esse videtur versus 273, quem Kirchhoffius tamen una cum antecedentibus sequenti 'carmini' attribuit. qua re Kirchhoffius, ut vv. 270—273 ab antecedentibus vel ab antecedente 'carmine' secerneret, permotus sit, facile intellegere licet. nempe his versibus reges nullo modo significantur, ad quos tamen quartum 'carmen' spectat. melius certe his versibus, qui ipsius poetae in-

dignationem ostendunt, novum 'carmen' incipitur, quo frater ab iniustitia ad iustitiam revocatur. — at plane aliter hoc quoque loco res comparata esse videtur. versus 267/9, cum ad carmen concludendum minus apti sint, optimam sententiam proferunt, si arte cum versibus 270—73 coniunguntur. nam versibus coniunctis haec evadit sententia: 'omnia animadvertit Iuppiter. sic etiam haec nostra causa eum non fugit nec quomodo diiudicata sit ignorabit. utinam nec ego nec filius meus hac aetate viveremus, si vere iniustus iustum vinceret. tamen Iovem ne hoc fiat impediturum esse spero'. sic optime inter se et arte coniunguntur hi versus, quibus secretis atque inter varia 'carmina' distributis neque antecedentis neque sequentis 'carminis' ratio constat. qui versus maxime docent nullo modo fieri posse, ut cum Kirchhoffio Opera in complura 'carmina' discerpamus. etiam si quis de his versibus (269—73) in unum 'carmen' comprehendendis cogitet, errat. ad quemnam hoc 'carmen' spectare dices? ad iudices? ad Persen? immo versus 267—73, quamvis bonam sententiam contineant, interrumpunt totius carminis progressum. verbis 'σκολιῶν δὲ δικῶν ἐπὶ πάγχυ λάθεσθε' quanta iniuria iudices se affecturi sint, meminit Hesiodus, tantaque indignatione tenetur, ut eam coercere non iam possit. profitetur igitur, quam aegre ferat iniustitiam eorum quos ius servare oporteat, quos Iovem ulturum esse sperat. his maxime versibus de poetae indole atque arte edocemur.

Quae autem argumenta Kirchhoffius attulit, ut vv. 270—285 ad aliam fratrum litem spectare comprobaret atque antecedentia 'carmina', nulla sunt. cum enim hic (vv. 280 sqq.) Hesiodus exponat, quae poena ei, qui peieraverit, a Iove immineat, Kirchhoffius hic Persen non accusatorem, sed testem exsistere contendit, cum accusatori iurandi facultas non detur (pg. 58). at notum est apud Atticos quidem[1]) non solum testes per iusiurandum astringi solitos esse, sed ipsos etiam accusatorem et accusatum, priusquam argumenta proferrent, se vera dicturos iuratos affirmasse (cf. Meier-Schoemann, att. proc. p. 825 sq.). eadem igitur de patris hereditate lis est, quae inde a primis carminis versibus significatur. accedit etiam hoc: inde a v. 276 poeta in universum exponit, quas leges Iuppiter hominibus dederit. summa autem lex est iustitia qua homines differunt a bestiis cuiusvis generis. neque igitur si quis τὰ δίκαια γιγνώσκων dicere velit Iovis favor ei deerit. contra iniusti, qui verum quamquam cognovit non dicit, sed mentitur apud

1) De iure Gortynio cf. Zitelmann, das recht von Gortyn (suppl. mus. rh. XL, 1885) 72 sqq. — ceterum Ziebarth, de iure iurando in iure gr. quaest. (diss. Gott. 1892) 42 sqq.; Mitteis, reichsrecht und volksrecht (Lipsiae 1891) 520.

iudices, stirpem Iuppiter perdet. dubito an iure Kirchhoffius (pg. 59) his e versibus Persen patrem familias fuisse colligat. sane ad Persen spectant versus 274—285, quem Hesiodus ab iniuria revocare studet. ne ille peieret, quo Iovis praemio iusti, qua poena iniusti vel periuri usuri sint, eum admonet. 'si quis, inquit, peierabit apud iudices, sibi ipse et generi vehementer nocebit'. sic plane in universum et vir iustus et vir iniustus inter se opponuntur atque fata eorum delineantur. quod utriusque genus sive bonam sive malam sortem nacturum commemoratur, non mirum est. diras Teiorum e. g. afferam, quae omnes his fere verbis terminantur: *κεῖνον ἀπόλλυσθαι καὶ αὐτὸν καὶ γένος τὸ κείνου.* (cf. Bechtel, inschr. d. ion. dial. 156 p. 96 sq.). eadem ratione Hesiodus satis universe locutus etiam familias et viri iusti et viri iniusti commemorat[1]), id quod versu 285 manifestum fit. quam bene hic locus etiam cum antecedente aliquo congruat, noli quaeso neglegere. neque enim hoc loco primum de iure iurando loquitur, sed iam v. 219 sq. *Ὅρκον* ulturum esse iniustos homines exposuit, quem ad versum optime afferunt viri docti Theog. v. 231, quo versu allato uterque Operum locus (v. 219. v. 280) bene explicatur. etiam altera sententia vv. 274—285 cum antecedentibus coniuncti sunt: nam sicut regum peccata toti populo crimini dari versibus 260/2 Hesiodus monuit, ita hic unius peccata familiam solvere dicit.

Artissime igitur etiam hi versus cum antecedentibus carminis partibus cohaerent nec ullo modo ab eis secerni possunt.

Quo autem modo etiam vv. 286—292 cum sequentibus copulati sint, Leo (pg. 18 sqq.) sagacissime exposuit, voce '*γὰρ*' quam Plutarchus et Xenophon tradunt in v. 287 recepta. arte igitur inter se coniungendi sunt vv. 286—316, quos bene excipiunt vv. 320—326. id enim agunt vv. 286—316, ut Persae ideo labores suscipere praecipiant, ut qui nunc pauper sit divitias nanciscatur. cum qua sententia bene coniungitur v. 320 *χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά, θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω.* sic transitum sibi efficit Hesiodus ad alterum carminis argumentum, quod inde a versu 383 tractat. vv. 317/19 nullo modo cum totius loci sententia coniungi posse videntur, nec ordo a Peppmuellero (philol. 39 317) inversus meliorem exhibet

1) Conferendae etiam sunt eae defixionum tabellae atticae (collectae a Wuenschio, C. J. A. app., Berol. 1897), quibus praeter ipsum devotum, de quo agitur, etiam devoti cognati sociique devoventur. ex quibus eas praecipue cum Hesiodi loco comparandas esse censeo, quibus in universum amici commemorantur velut *οἱ ἄλλοι οἱ μετὰ Κοννῦδος, οἱ μετὰ τούτων, οἱ μετ' ἐκείνων, οἱ μετὰ Κτησίου ἅπαντες* etc. cf. Wuenschi praef. pg. V.

conexum, cum de pudore Hesiodus omnino non agat. dubitare licet de vv. 327—382 inter duas carminis partes intercedentibus. ipse Kirchhoffius (pg. 62) sententiarum et conexum et progressum explicavit, cum conexus neque cum antecedentibus neque cum sequentibus adeo planus atque dilucidus sit, ut Hesiodum ipsum versus interposuisse iure contendere videamur. primi versus (327 sqq.) eandem sententiam quam vv. 325/6 proferunt, cum ira deorum eum affectum iri dicant, qui in variis rebus allatis peccaverit. sequuntur varia de vita humana praecepta, quae ad hominum usum et consuetudinem pertinent. ordo autem praeceptorum hic constitutus est, ut ultima ad easdem res spectent, quae inde a versu 383 secundum carminis argumentum exponuntur. totiens tamen inciditur sententiarum conexus, ut Hesiodi esse versus haud facile quisquam contendat.

Hoc igitur primum statuamus licet: inde a versu 201 apte et conectuntur et progrediuntur sententiae, atque unum illud argumentum praecipue exponitur, quod prooemio significatur. cum ipsa igitur Kirchhoffii 'carmina' inter se arte cohaerent, tum omnia ita ad prooemium spectant, ut difficile sit Opera et Dies unum et continuum carmen esse negare. restat autem, ut quomodo versus inde a v. 201 cum primis carminis versibus cohaereant atque coniuncti sint quaeramus. inter has partes duae fabulae interpositae sunt, quarum priorem ab Hesiodi arte nullo modo alienam esse cognovimus. sed consentiunt viri docti posteriore aliqua aetate carmini has partes intextas esse. quod si verum esset, videas quaeso, quam in aetatem Operum interpolatio reiceretur! ipsam enim interpolationem imitatus est Theogoniae interpolator. atqui alter Operum interpolator — eum dico qui vv. 69—82 + 90—104 + 105 in carmen inseruit — Theogoniae rursum interpolationem certe imitatus est.

Dilucida autem res mihi videtur esse. contempleris enim quaeso v. 202, quo fabula ad reges pertinens incipitur: *νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσιν ἐρέω, φρονέουσιν καὶ αὐτοῖς*. mira sunt verba *νῦν δὲ*, et mirum in modum hic locus differt a ceteris, quibus Hesiodus nominibus eos significare quos adloquitur satis habebat. dicit: *ὦ Πέρση* (v. 27, 218, 274); *ὦ βασιλῆες* (v. 248). etiam hanc fabulam verbis *ὦ βασιλῆες* incipere facile erat. tamen non fecit, nec temere, ut opinor. faciamus enim ita rem se habere ut viri docti contendunt, i. e. versum 49 excipi versibus 201 sqq. duabus in rebus sane equidem offenderem. primum enim transitus quo v. 201 utitur poeta, quem ab usu abhorrere vidimus, offensioni est. verba *νῦν δὲ* sine ullo sententiae acumine hic exstarent, si usque

ad hunc versum ipsum carminis argumentum tractatum esset. immo ipse poeta se per maiorem carminis partem alia tractasse atque ipsa carminis argumenta verbis *νῦν δὲ* significare videtur. ad ea igitur his verbis se revocat. tam manifesta res mihi esse videtur, ut, si ea tantum traderentur quae viri docti Hesiodi esse contendunt, ex his verbis lacunam satis magnam statuere equidem non dubitarem, qua alias res Hesiodus tractasset. Hesiodus igitur fabula accipitris aliis rebus interea tractatis tenorem carminis ad ipsum prooemii argumentum revocare significat. deinde, si versus 49 versu 201 excipitur, in versuum 40—49 sententia minus loco accommodata offendimus. immo vel ex ipsis hisce versibus Hesiodum a carminis argumento evagari sibi proposuisse colligere licet. quidnam agunt versus 40—49? versus 40 aperte ad Persen spectat, qui totum dimidio non praestare expertus est. similis sane sententia versu 41 praebetur, attamen non eo consilio, ut iterum Perses compelletur. quid enim consili huic versui insit, statim versu 42 manifestum fit. malvam asphodelumque habere qua de causa multum valeat exponitur, atque ita exponitur, ut dubium non sit, quin ad ipsam hanc disputationem de laboribus ab hominibus suscipiendis versu 41 transitus comparetur. sic iam Schoemannus in commentatione critica editioni Hesiodi praemissa (pg. 18) de hoc versu iudicavit. neque igitur quae explicatur, sed quae explicationis causa affertur res summi momenti est, id quod ita esse iam ex ipso ambitu explicationis elucet. si versus 41 propter versus sequentes inventus est, num versus 42—49 eius tantum sententiae causa, quae ipsis inest, inventi sint, dubium mihi quidem videtur esse. 'laborare hominibus necesse est, cum di victum terra conderint (de voce *βίος* interpretanda cf. p. 49). quod ni fecissent, terra frumentum hominibus ultro daret neque eis opus esset agricultura, ut victum compararent'. haec est sententia versuum 42—49, quae hoc loco non primum in Operibus exstat. continetur enim etiam versibus 20—24, quibus Perses, ut a bona Contentione impulsus laboribus se det atque divitias sibi comparet, admonetur. versibus 27—39 autem poeta a mala Contentione egressus ab iniuria fratrem revocavit ad iustitiam. iam igitur ad alterum carminis argumentum transiit, unde hoc loco contra exspectationem ad prius reflectere videtur disputationem. quod Goettlingius sane cognovit, in eo tamen errans, quod Hesiodum illuc redire dicit, *unde filum abruperat v. 24.* immo de bona Contentione satis locutus esse videtur Hesiodus usque ad v. 24 neque eum iterum de laboribus necessario ab hominibus suscipiendis expositurum esse exspectamus. tamen vv. 42—49,

quod ad sententiam attinet, cum versibus 20—24, praecipue cum versu 24 arte cohaerent. quod si Hesiodus consulto ita instituit atque certo e consilio transitum ad hos versus comparavit, versus etiam alio e consilio inventos esse iure suspicamur, quam quod adhuc tractavimus. neque enim, ut hoc adiciam, dubitare licet, quin ipsius Hesiodi versus sint. vidimus quo modo cum totius carminis argumento coeant, quo modo v. 44 ad v. 20, v. 45 ad versus de navigatione agentes spectent. sed si ipsis in versibus consilium versuum non exstat, quos tamen consilio aliquo inventos esse colligere licuit, propter alias res postea enarrandas versus inventos esse concludamus necesse est. an vere transitum efficiunt ad versum 202, quo versum 49 excipi dicunt viri docti? nullo omnino sententiae vinculo fabula accipitris, qua ad regum iniuriam alluditur, cum his versibus coniuncta est. qua cum re optime congruunt quae supra (ad v. 202) de insolito carminis progressu statuimus.

Neque vero in laboribus tantum suscipiendis versantur versus 42 sqq., sed magni momenti Iovis malivolentiam in homines esse nemo facile negleget. Iuppiter a Prometheo deceptus frumentum terra condidit, propter Promethei fraudem in homines vehementer iratus magna mala hominibus comparavit. sed qua de causa Prometheus hic affertur? Promethei fabulam mirum in modum mutavit Hesiodus qui ipse in Theogonia plane aliam narravit. etiam hoc loco poetam certo aliquo consilio usum esse non temere mihi videor suspicari. contempleris quaeso versus 42—46: nonne satis quae mala per deos in terram venerint explicare videntur? Hesiodus, si hoc solum exponere voluisset, sine sententiae detrimento Prometheum hoc loco afferre supersedere potuisset. at Promethei fabulam aliquam adiecit, quam ipse propter hunc locum invenisse videtur, cum alias memoriae omnino non tradita sit. satis obscuris verbis Promethei fraudem significat magis quam narrat, ita ut dubium sit, utram fraudem (duas enim in Theogonia narravit) commemoret. facere non possum, quin eo consilio Hesiodum ad Promethei fabulam hoc loco, quo sane contra exspectationem commemoratur, allusisse censeam, ut narrationem de prima muliere creata carmini insereret. quam fabulam aliquo modo cum Prometheo coniunctam fuisse iam e Theogoniae versibus 512—514 concludere licet, ut eum solum locum afferam, qui e consensu omnium Hesiodi est. ex quo loco etiam id iure colligimus, Hesiodum feminae creationem Iovi crimini dare, cum Epimetheus, qui mulierem a Iove fictam recepit, viros malo affecisse dicatur. itaque haec quoque malivolentia Iovis est. cum autem ab Hesiodo, Theogoniae auctore, alienum non esse videatur, etiam in alterum

carmen fabulam aliquam inserere, fabulam de primae mulieris origine Hesiodi esse veri mihi videtur simillimum esse. — sane mira ratione ipsa fabula cum antecedentibus coniuncta est. Kirchhoffius totam fabulam propter verba *κρύψε δὲ πῦρ* Hesiodo abiudicat. neque ego his verbis idem significari contendo, quod versibus antecedentibus exponitur. nullo modo verbis *βίος* et *πῦρ* eadem significari possunt. Kirchhoffium autem minus accurate versum 49 interpretatum esse arbitror. verbo *ἄρα* hoc loco concludendi vis inesse videtur, ut versu 49 secernantur aliquo modo versus 42—48 a versibus 50 sqq. satis artificiose Hesiodus eo pervenit, ut Prometheum hoc loco omnino commemoraret. Prometheo quamvis ex inopinato commemorato versu 49 concludit eos versus, quibus transitum ad fabulam sibi comparavit. itaque quasi de integro fabulae narrationem incipere ei licet v. 50. *κρύψε δὲ πῦρ*, inquit. hoc igitur quasi fundamentum iacit sequentis narrationis, quae antecedentes versus neque explicare potest neque explicationis causa adicitur, id quod Kirchhoffius pg. 45 factum esse contendit. immo versus 40—49 explicationem ne flagitant quidem, cum bene intellegantur. hoc autem negari nequit, sententiam horum versuum, si propter eam tantum inventi essent, minus accommodatam esse carminis loco. itaque defendi debent, non excusari vel explicari. defenduntur autem narratione de Prometheo et prima muliere adiecta, qua Iovis malivolentia in homines exponitur. — eo autem tendit narratio, ut Perses de vita humana deperdita edoceatur atque hoc modo ad laborandum incitetur.

Fabulae coniunctionem satis miram esse concedo. sed omnibus his argumentis quae partim in ipsa narratione, partim in versibus fabulam antecedentibus exstare mihi videntur, eo impellor, ut etiam hanc Operum partem Hesiodi esse censeam.

Non igitur versus 49 ad versus 95 exemplum est inventus, sed versus 95 auctor Hesiodum imitatus est. qua Hesiodi imitatione interpolator narrationem quam inseruit etiam melius atque artius cum Hesiodi narratione coniungere studuit. sic evenit ut verbum *ἐσκέδασε* obiecto plane careat.

Etiam insequentem de hominum aetatibus fabulam Hesiodo abiudicavit Kirchhoffius, qui ipse ab eodem Operibus eam esse insertam suspicatus est, a quo prior 'Pandorae' fabula. haec enim fabula aperte alteram miseriae humanae explicationem affert[1]), atque primi statim versus (106/7) eundem certe auctorem significare videntur. cum autem fabulam, quae antecedit,

1) Cf. Crusius, literar. centralblatt $1890_{187}$; Peppmueller, Fleckeis. annal. 1890.

ab Hesiodo et inventam et carmini insertam esse censeam, hac ratione etiam hanc fabulam Hesiodo attribuendam esse contendere fortasse mihi liceret. tamen alia prorsus argumentationis via ingredi lubet. ipsa enim narratione indicia praeberi mihi videntur, quibus Hesiodus fabulae auctor comprobatur. — versus 106/7 aperte ideo inventi sunt, ut transitus ad novam narrationem efficiatur. sive Hesiodus sive alius aliquis fabulam inseruit, talibus versibus narrationem incipere necesse erat. artissime cum ipsa narratione cohaerent atque inconsulte Goettlingius versus 106/7 removendos esse primus censuit, quem Rzachius secutus est. unus Kirchhoffius recte rem tractavit. Goettlingius autem et Rzachius quod de totius carminis indole iudicium ferant nimis obscure significant. etiamsi fabulam de aetatibus interpolatam esse arbitrentur, neminem adeo inconsiderate rem egisse licet contendere, ut fabulam sine ulla coniunctione in carmen insereret. ad percipiendam versuum 106/7 artem versum 202 comparare perutile est quo fabula accipitris incipitur. eodem modo hic atque illic ipse poeta eorum qui eum audiebant animos ad id quod statim expositurus est convertit. in toto omnino carmine Hesiodus se ipse commemorare solet atque se ipse loquentem inducit, ita ut personam eius atque ingenium cognoscamus. vere mirum esset, si interpolator aliquis tanta arte Hesiodum imitatus esset, ut eam ipsam quam Hesiodi propriam esse cognovimus dicendi rationem imitationi adhibuerit. immo iam satis quali arte Hesiodi imitatores utantur vidimus. certe hanc rectam concludendi rationem non esse censeo carminis alicuius partem cuius ratio ipsum poetam aperte indicat propterea interpolatori attribuere, quod narrationis sententia contra exspectationem profertur. neque enim quantum video alia argumenta quibus fabula de quinque hominum aetatibus Hesiodo abiudicetur a viris doctis afferuntur. quod ad versus 106/7 ab ipso Hesiodo inventos attinet, etiam Persae fratris adlocutionem recte mihi commemorare videor quae ad totius carminis artem atque rationem optime accommodata est. similiter atque versu 107 Persen, ut praecepta animo mentique mandet, Hesiodus monet versibus 27, 274, 298/9; similem Persae adlocutionem praebent versus 213, 286 cuius ad rationem proxime accedunt versus 106/7, 641; regum versus 201, 248. apte autem hoc loco Persen adloquitur poeta, cum proxima carminis parte ad reges admonendos animum convertat, neque ei qui carminis consilium et dispositionem aestimare conatur et Persen et reges primum fabulis admoneri neglegere licet. hoc quoque ab ipso poeta ita esse institutum mihi quidem videtur certo e consilio, quo et Meyerus et ego Hesiodum

uti comprobare saepius conati sumus. accedunt me quidem iudice versus 174/5 quibus Hesiodus fabulae auctor comprobatur. aperte enim et ipsi eandem illam Hesiodi rationem dicendi ostendunt, quam saepius et de versibus 106/7 demum agentes deteximus. atque horum quoque versuum simillimi exstant in Operibus, sc. versus 270/1, quibus eodem modo atque his suam ipsius de aetate qua viget sententiam exponit. atque ut versu 273 se Iovem prohibiturum esse sperare dicit, quominus quae timeat fiant, ita versu 175 futura tempora meliora fore se sperare indicat. accedit quod tota de ferrea aetate disputatio optime quadrat in ea, quae Hesiodus in proxima carminis parte de iniustitia qua totius populi vita in peius vertitur exponit. quibus omnibus de causis facere non possum, quin ipsum Hesiodum fabulam quinque aetatum Operibus inseruisse censeam. accuratius fabulam tractare hoc loco in animo mihi non est. hoc tantum adicere mihi liceat versus 156—169 fortasse recte a Kirchhoffio removeri.

Ipse autem Kirchhoffius (l. l. pg. 49) et fabulam de prima muliere et hanc de quinque aetatibus uni eidemque poetae attribuendas esse censuit, qua de re secundum meam de altera fabula argumentationem dubitatio ne potest quidem exsistere. ipsum enim Hesiodum si fabulam de quinque aetatibus Operibus inseruit ipsius fabulae primi versus alium aliquem λόγον antea narrasse docent, id quod nemo facile negabit. dilucide enim primis narrationis verbis ad aliam fabulam antea narratam alludit poeta. ergo ipsis indiciis, quibus Hesiodum alterius fabulae auctorem esse comprobare studui, argumento iure mihi videor uti, quod ad cetera argumenta de fabula primae mulieris ab ipso Hesiodo Operibus inserta accedit.

De Operibus igitur hoc statuo: unum et continuum carmen sunt, cui ipse Hesiodus duas fabulas mythologicas inseruit[1]). primae mulieris fabula sane ab ipso Hesiodo narratur, qui in Promethei fabula breviter commemoranda suam ipsius narrationem, quam in Theogonia protulit, nimirum imitatus est. — de ratione quae inter Theogoniae et Operum narrationes de prima femina intercedat, supra satis iam locutus sum. Theogoniae autem vv. 590—612, quibus olim Operum narratio concludebatur, sicut tota Operum narratio ab Hesiodo inventi sunt.

---

1) De fabularum sensu atque consilio admodum recte iudicat Chantepie de la Saussaye, lehrbuch der religionsgeschichte (1897) II 257.

## Caput V.

### De Prometheo et Atlante. De Erebo.

Hesiodi narrationibus de Prometheo et prima muliere tractatis ad ipsas fabulas disputationem converto. incipiendum mihi videtur esse a differentia, quam inter singulos Iapeti filios intercedere videmus. Atlas enim, Menoetius, Prometheus, qui in Iovem peccaverunt, a Iove suppliciis afficiuntur: Menoetius in Erebum deicitur; Atlas caelum ferre cogitur; Prometheus stipite perfossus vincitur aquilaque Iovis ei immittitur, quae iecur noctu succrescens interdiu comedat. Epimetheus autem neque in Iovem peccavit neque a Iove punitur. ea tantum de causa fratribus qui dicuntur adicitur, quia prima muliere recepta viros malo affecit. atque valde dubito, num iam ante Hesiodum Epimetheus inventus fuerit. immo ipso nomine consulto eum secundum Prometheum fratrem fictum esse apparet, atque facile fieri potuit, ut ipse Hesiodus, quem res ad religionem et mythologiam spectantes non pia credulitate, sed sobria quadam ratione adhibita contemplatum esse constat, Prometheo contrarii sensus figuram opponeret. nescio an veriloquio Ἐπιμηθέως (v. 89) ad hanc rem confirmandam uti liceat. — quocumque modo res se habet, ipse Hesiodus et narrationibus de Prometheo et Epimetheo memoriae traditis et ratione qua in Theogonia eos cum Atlante praecipue et Menoetio coniunxerit naturam et sensum eorum satis mihi quidem videtur indicasse: cum Promethei sit homines adiuvare, Epimethei est nocere hominibus. dubium non est, quin utriusque indoles ipsis nominibus indicetur. προμηθείας et ἐπιμηθείας quam dicit Stephanus Byzantius hominum instar sunt. quod considerans etiam quid uterque passus sit melius intelleges: ἐπιμήθεια enim ipsa homini qui ea utitur detrimento est. sic Epimetheus quoque, ὅτε δὴ κακὸν εἶχ', ἐνόησε. προμήθεια autem ipsi homini certe valde commoda est. at qui ea praeditus est, facile superbior atque audacior fit quam hominem decet. sic Prometheus, ea indole usus, quam nomen significat, ποικιλόβουλος, αἰολόμητις, ipsa sua natura, ut cum Iove prudentia certare auderet, illicitus est. hic mihi videtur sensus fabulae esse, quem Hesiodus quoque narrationibus suis adumbravit et indicavit: Promethei id sibi comparare cupiunt et student, quod eos habere propter deorum voluntatem nefas est. etiamsi quod habere cupiunt assequantur, a dis puniuntur. sic Prometheus et προμηθείας exemplum est et superbiae a Iove punitae. nec inconsulte homines

antiqui Prometheum ignem furatum esse fabulabantur. ignis enim omnis vitae humanae fundamentum videtur esse, qui tamen divinam naturam aperte prae se fert, ita ut inde a primis temporibus hominum in usu eum fuisse difficile fuerit credere. — Epimethei autem, cum rerum naturam ignorent, malum passi prudentes fiunt. — itaque et Prometheus et Epimetheus, quamquam alter certe et ab Hesiodo et ante Hesiodum deorum vel Titanum in numero habitus est, tamen proxime ad humanam naturam accedere videntur[1]. uterque alteram partem humanae mentis repraesentat. Epimetheus autem, qui primam mulierem recepit, ipse fere primus omnium vir cogitatus esse videtur.

Promethei quod ad naturam attinet simillimi sunt et Menoetius et Atlas, id quod epithetis quoque ab Hesiodo nominibus adiectis significatur. Atlas enim est *κρατερόφρων*, Menoetium *ὑπερκύδαντα* primum dicit, quod verbum certe ad verbi *ὑβριστής* sensum explicandum est (v. 514). punivit eum Iuppiter *εἵνεκ' ἀτασθαλίης τε καὶ ἠνορέης ὑπερόπλου* (v. 516). nimiae igitur superbiae exstant exempla et Menoetius et Atlas et Prometheus. quae Menoeti et Atlantis fabulae fuerint, non iam constat. Menoetium *ἐν τῇ Τιτανομαχίᾳ* a Iove in Erebum deiectum esse facile erat ex Hesiodi versibus concludere. ita Apollodorus (bibl. I 2) rem tradit, nimirum aliorum narrationibus usus. unde artam Menoeti ceterorumque cum Titanibus coniunctionem intellegere licet, quorum propter naturam simillimi sunt. conferas quaeso Theog. vv. 207—210. quid de Hesiodi loco iudicandum sit, contra Roberti opinionem supra iam exposui (p. 8). certum scelus, quo commisso punitus sit, afferre facile supersedere Hesiodo licuit, cum epithetis adiectis et praecipue versu 516 causam supplicii in universum satis indicavit: propter superbiam Menoetius in Erebum deicitur. eundem esse Menoetium et Menoetem, quem Apollodorus (bibl. I 5, $10_{,7}$) in Erythia Plutonis boves pascere dicit, Robertus (l. l. I 48 adn. 1) suspicatur. grave autem est Menoetium in E r e b o esse disertis verbis Hesiodum dicere. a Menoetio enim incipientibus etiam de Atlantis et Promethei suppliciis res satis graves enucleare licebit.

Menoeti supplicium simili modo mihi videtur explicandum esse atque e. g. Tantali et Sisyphi: *nicht als büsser ungeheurer schuld sind Tantalos und Sisyphos da* (sc. in Tartaro), *sondern als repräsentanten ewiger strafen, die nicht nur sie im jenseits treffen* — sic Wilamowitzius de his suppliciis iudicat (hom. unters. 202).

1) Eundem in modum Weilius de Prometheo iudicat (Aesch. Prom. ed. Weil, Gissae 1864, p. VII).

Menoetius quoque propter superbiam qua peccaverat in Erebum deiectus omnino poenam significat qua nimis superbi afficiuntur. neque igitur certa supplicii causa quaerenda est. nec aliter et Atlantis et Promethei, quos similibus de causis atque Menoetium punitos esse vidimus, supplicia intellegenda sunt. certe apud Hesiodum nec Atlas, qui ἐν πείρασι γαίης caelum ferre dicitur, nec Prometheus, qui — nescimus qua in parte mundi — stipite percussus et vinctus ab aquila Iovis laceratur, in Erebo sunt. at detegere mihi videor posse indicia, quibus utrumque olim in Erebo vel Tartaro supplicio affectum esse comprobem. quod ne mirum quidem esset. uterque enim sicut Menoetius Iapeti filius est, a Titanibus igitur sunt proximi, quos in Tartarum a Iove deiectos esse nemo ignorat. de Atlante ipse Hesiodus satis aperte loquitur, quamquam solis e verbis πείρασιν ἐν γαίης (v. 518) Tartarum me nimis temere colligere dicas.

Quae autem sunt πείρατα γαίης? quid significant verba?

Theogoniae vv. 806—819 aperte ideo sunt inventi, ut locum versuum 729—805 obtinerent, quibus Tartarus describitur. qui attento animo neque re praeiudicata vv. 807/19 perlegerit, dubitare non poterit, quin eo de Tartaro agant, qui Oceano flumine a terra secernatur. neque enim sub terra est, sed extra terram, ultra terrae fines positus. in ipsis Oceani ripis Cottus, Gyes, Briareus habitant, quos Titanum custodes Iuppiter constituit. Titanes autem in Tartarum sunt inclusi post Titanomachiam. Titanes πρόσθεν habitare dicuntur πέρην Χάεος ζοφεροῖο, quae verba aperte hoc modo interpretanda sunt: totus Tartarus tenebris circumdatur. quas in tenebras ingressus primum ad Centimanos et Titanes, quos illi custodiunt, pervenis: ad ipsas Oceani ripas habitant. ubi Tartarus, terra obscura, i. e. tenebris circumdata, incipit, ἑξείης sunt principia simulque fines maris et caeli: principia et fines inter se contingunt. — eadem de Tartaro sententia magnis partibus versuum 729—806 profertur. sane toti descriptioni satis multi sunt inserti versus qui id agunt, ut Tartarum sub terra positum esse ostendant. primi statim versus 722—25 de Tartaro subterraneo aperte loquuntur neque aliter vv. 727/8 inde a verbis αὐτὰρ ὕπερθεν. at versus 726/7

τὸν πέρι χάλκεον ἕρκος ἐλήλαται· ἀμφὶ δέ μιν νὺξ
τριστοιχεὶ κέχυται περὶ δειρήν

hac cum sententia coire non videntur. ἕρκος enim aperte murum significat, qui totam hanc mundi partem circumdat. sed quo modo Tartarum subterraneum, cuius alterae partes super alteras structas

esse necesse est, muro circumdari et a terra secerni posse contendes? — partes vel regiones Tartari inde a v. 729 describuntur. ita autem posita esse videntur, ut alteram transgressus ad alteram pervenias neque altera super alteram posita sit. hoc aperte significat verbum ἔνθα, quo singulae regiones, quarum incolas nominat poeta — qui quidem Hesiodus certe non fuit, cum Tartari descriptionis in Theogonia locus omnino non esset —, inter se conectuntur. ad terrae radices sicut in versibus quos modo tractavimus Titanes sunt. hoc primo loco verbum ἔνθα omnino non intellegitur, nisi mixtae antecedentium versuum sententiae ratione habita. terrae 'radices' aperte ad Tartarum subterraneum pertinent, cum quibus Titanum regio coniuncta esse non potest, nisi sub eis posita est. hic autem sensus a verbo ἔνθα prorsus alienus est. si tota descriptio unam de Tartaro sententiam proferret, etiam hic πηγαὶ καὶ πείρατα terrae afferrentur, ad quae verbum ἔνθα aperte spectat. neque vv. 732/3 ad Tartarum subterraneum spectant, sed ad regiones, quae ultra mare et Oceanum positae sunt. — v. 736/9 errore huc inserti sunt ex altera illa loci recensione, quae versibus 807—819 continetur (736—739 = 807—810). vv. 740/5 iterum de Tartaro subterraneo agunt. qui autem sequuntur versus (746—757) alteram rursus sententiam proferunt de regionibus ultra Oceanum positis. quonam modo — id quod fieri necesse esset, si de Tartaro subterraneo ageretur — verbum πρόσθε (v. 746) sensum verbi ὕπερθεν habere potest? nullo modo. sed ita res est constituta, ut, cum antecedentibus de Titanibus prope ad Oceani ripas habitantibus locutus sit poeta, hoc loco Atlantem ante Titanes constitutum esse dicat. qui igitur a terra veniens Oceanum fuerit transgressus, in terrae, caeli et 'Tartari' finibus Atlantem caelum ferentem primum videbit, tum Titanes a Centimanis custoditos. itaque parvo tantum spatio Atlas a Titanibus, quorum in numero ipse videtur habendus esse, secernitur. eandem sententiam versibus 807—819 proferri vidimus, nisi quod Atlas illic omissus est. bene autem hic adicitur, ubi caeli quoque quod fert fines esse dicuntur. aperta res fit eis versibus, quibus apud Atlantem Dies Noctem convenire dicitur. Dies ἔσω it, cum Nox θύραζε ἔρχεται. num Diem Noctemque e Tartaro subterraneo venire per terram dices? noli quaeso offendere in verbo καταβήσεται atque hoc verbo Tartarum indicari subterraneum contendere. eodem enim modo quo (v. 729) 'θεοὶ Τιτῆνες, inquit, ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι κεκρύφαται', ubi propter verbum ἔνθα de subterraneis regionibus cogitare non licet, eodem, aio, modo hic Diem ἔσω καταβαίνειν dicit. tenebris enim immersus ita occultatur, ut ipse quoque ὑπὸ ζόφῳ celetur. iam Voelckerus qui libello suo 'über homerische

geographie und weltkunde' primus ni fallor sagacissime has res tractavit verba κατέρχεσθαι, καταβαίνειν, καταδῦναι etc. ubique ad Tartarum subterraneum tantum pertinere iure negavit (cf. p. 136/8). etiam Odysseae carminis λ poeta, qui de regionibus ultra Oceanum positis agit, verbis ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα utitur idem aperte significans atque Theogoniae interpolator (λ 57, 155). v. 475 'πῶς, inquit, ἔτλης Ἀιδόσδε κατελθέμεν', cum v. 563/4 eandem certe rem significans dicat 'βῆ δὲ μετ' ἄλλας | ψυχὰς εἰς ἔρεβος νεκύων κατατεθνηώτων.' res aperta fit versibus 36/7 comparatis: .. αἱ δ' ἀγέροντο | ψυχαὶ ὑπὲξ ἐρέβευς νεκύων κατατεθνηώτων. sic in Theogonia quoque Dies atque Nox ὑπὲξ ζόφου et κατὰ ζόφον ire bene dicuntur. — neque alia sententia vv. 758—766 de mortuorum regionibus profertur, nisi verbum καταβαίνων (v. 761) falso interpretaris. bene enim Sol ad vesperum καταβαίνειν dicitur, cum ipsum caelum ad terram se deflectere videatur. mirum autem in modum versibus 767—773 (774 ne traditur quidem!) duae sententiae non modo coniunguntur, sed etiam plane inter se commiscentur. agunt enim de Plutonis et Proserpinae domo, ad quam poeta regiones ultra Oceanum positas quasi perambulans hoc loco pervenit. regiones ultra Oceanum iterum aperte verbis ἔνθα et πρόσθεν (v. 767) significantur, de quibus iam dixi. Pluto autem χθόνιος vocatur (v. 767), quo verbo adiecto deus aperte in terra vel sub terra habitare dicitur, unde poetam rem satis obscure agere licet colligere, quamquam in universum vox χθόνιος ita ad Plutonem spectat eiusque proprium est epithetum, ut fortasse ne hoc quidem loco mirum sit. — Plutonis et Proserpinae domum Cerberus custodire dicitur. cum Cerberus fere idem videatur esse atque Orthus, Geryonis canis — qua de re infra loquar —, et regio, qua Geryones et Orthus versantur, aperte ultra Oceanum sit posita nec subterranea cogitari possit, praeter vocem χθόνιος etiam vv. 767—773 Erebum, non Tartarum significare videntur. tamen nescio an removendi sint. nam verbis δόμοι Ἀίδεω καὶ Περσεφονείης semper Tartarum subterraneum, quo mortuorum animae decedunt, ita significari constat, ut tota haec mundi pars his verbis comprehendatur. hoc autem loco singulae Erebi partes perlustrantur, inter quas ex inopinato tota regio commemoratur; nec potest id, quo totum significari videtur, pars totius dici. — versus sequentes aperte de regionibus ultra Oceanum, i. e. de Erebo, non de Tartaro qui est subterraneus agunt. neque solum verbo ἔνθα haec sententia indicatur, sed etiam verbis ἀμφὶ δὲ πάντη | κίοσιν ἀργυρέοισι πρὸς οὐρανὸν ἐστήρικται, quae verba omnino intellegi non possunt, si ad Tartarum referuntur.

Itaque versuum 729—806 poeta, qui Tartarum describere voluit, regiones descripsit, quae ultra Oceanum sunt, a dis hominibusque secretae. sane etiam verum Tartarum subterraneum commemorat, quas duas sententias ita commixtas esse videmus, ut valde mihi sit dubium, an versus qui de Tartaro agunt removere liceat (sunt vv. 722—728, 740—745, 787—792). immo ipsum interpolatorem minus intellexisse arbitror, quae similibus fortasse descriptionibus usus narraret. quae autem sint regiones ultra Oceanum Odysseae carminibus *κ* et *λ* comparatis intellegitur. Ulixes enim a Circa (*κ* 490 sqq.) *ἱκέσθαι εἰς Ἀίδαο δόμους καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης* iubetur, ut e Tiresia vate reditum quaerat. quo ut perveniat eum Oceanum transgredi necesse est, qui aperte Plutonis regnum a terra secernit. alteram ad ripam Oceani nave relicta ipse ad Plutonis domum accedere iubetur (v. 510 sqq.). tota regio tenebris operta est nec umquam solis lumine tenebrae tolluntur (*λ* 10—22). Ulixes in limine stat Plutonis regni, mortuorum animae, sacrorum sanguine allicitae, *ὑπὲξ ἐρέβευς* Ulixi appropinquant. verbo *ἔρεβος* hic idem aperte significatur quod Theogoniae interpolator *ζόφον ἠερόεντα* dicit, quo e. g. Titanes celantur. ad ipsum Plutonis regnum pervenit Ulixes, quod ab Oceano terminatur.

Miror quod Rohdius ('Psyche' I³ pg. 53/4) carminibus *κ* et *λ* aliam de mortuorum regno sententiam atque Iliadis carminibus proferri negat. locum ad quem Ulixes pervenit aditum tantum Tartari subterranei esse contendit. minime autem sic e. g. versum *κ* 512 intellegere licet, quo Ulixes apertis verbis *εἰς Ἀίδεω δόμον εὐρώεντα* ire iubetur. ad eundem sensum, non alium quadrant vv. 527 sqq., quibus *εἰς Ἔρεβος στρέψας* oves immolare iubetur. Anticlea mater ex Ulixe quo modo *ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα* pervenerit mirata quaerit, cum eo pervenire mortuis tantum liceat (*λ* 155), Ulixes ipse se necessitate coactum *εἰς Ἀίδαο* pervenisse dicit (*λ* 164). ergo Oceanum transgressus ipso in Erebo est, non solum loco aliquo, unde in Tartarum pervenire liceat.

Neque ab Hesiodo haec de mortuorum regionibus sententia aliena est. nusquam enim Tartari mentio fit, nisi v. 119 et versibus inde a v. 617, quos Meyerus interpolatos esse comprobavit. etiam v. 119 removendus est, qui certe ab auctoribus antiquissimis ignoratur, sc. a Platone, Aristotele, aliis. Tartarus igitur, i. e. Plutonis regnum subterraneum, omnino ab Hesiodo alienus est. hac igitur de causa, non ea, quod facile sit eam removere, tota Tartari descriptio removenda est (cf. Wilamowitz, Eur. Herc. I² 90). immo Erebus est, ubi Titanes ceterique celantur, terra ultra Oceanum posita et perpetuis tenebris obruta. ad vesperum, unde Nox

oritur, Erebus situs est, cum Nocte artissime coniunctus. frater est Noctis. quae autem inter Erebum et Noctem ratio intercedat, ex ipsis nominibus facile cognoscitur. idem est Erebus atque Nox, nisi quod Nox ad terram, Erebus ad mortuorum regiones spectat. inter liberos, quos Nox peperisse dicitur, Fatum est et Mors, e quibus arta inter Erebum et Noctem coniunctio elucet, neque igitur inconsulte Noctis liberorum sedes ultra Oceanum, i. e. in Erebo, exstare dicuntur (v. 778). ibidem ipsam Noctem habitare iure colligimus, etiamsi v. 744/5 propter antecedentes de Tartaro, non de Erebo agere cognoverimus. — optime in hanc observationem de Erebo Hesiodi quadrat v. 515, quo Iuppiter Menoetium εἰς Ἔρεβος demisisse dicitur.

Quodsi unde digrediendum erat ad Atlantem redimus, dubium non est, quin et ipse in Erebo esse dicatur verbis πείρασιν ἐν γαίης (v. 518), quorum sensus ab interpolatore explicatur v. 746. 'ante Titanes' stat, caelum ferens, sicut Centimani quoque, Titanum custodes, 'ante Titanes' stare cogitandi sunt. hic etiam Hesperides sunt virgines, Noctis filiae; et ipsarum et matris nomen, quae sint, indicat. ad quas cum Hercules proficiscitur, eum in Erebum proficisci manifestum est. transgreditur Oceanum, sicut Ulixes, navigio usus Solis calice, quo ipse Sol Oceanum transgredi solet, Orthum, Geryonis canem, et ipsum Eurytionem, boum Plutonis pastorem, necat. Orthus autem secundum Hesiodum (v. 309—311) Cerberi frater est e parentibus Typhaone et altera Gorgone. tota fabula eius videtur simillima esse — ni olim plane eadem erat —, qua Hercules in Tartarum ingressus Cerberum rapuisse, i. e. Cerbero superato ipsam Mortem superasse dicitur. plerisque vasorum picturis vetustioris aetatis Cerberus sicut Orthus duo tantum capita et serpentis caudam habens effingitur, ut dubium iam non sit, quin olim Orthus vix secretus fuerit a Cerbero, cuius simillimus erat. qua ratione secundum hanc naturae et formae similitudinem de Herculis, Geryonis, Hesperidum fabulis iudicandum sit, ipse diiudices (cf. Roberti l. l. pg. 808. 819. Gerhardi vasculorum delectum, tab. 129—131). ipse Geryones certe olim in Erebo versatus est (cf. Roberti l. l. 819. Mon. d. Inst. IX tab. 15).

Num Atlas inde a vetustissimis temporibus caelum tulit? aiunt Wilamowitzius (Eur. Herc. II² 94 sqq., 98) et Maximilianus Mayerus (giganten und titanen, pg. 86 sqq.). at ipsi arte eum coniungendum esse et natura sua coniunctum cum Tantalo dicunt, qui in Tartaro lapidem magnum ferre compluribus locis dicitur, quos Porsonus ad Eur. Orestis v. 5 congessit (cf. Wilamowitzii 'homer. unters.', pg. 201. Mayeri p. 89/9. Roberti 'die Nekyia

des Polygnot', pg. 52). uterque 'τελαμών' est — haec potissimum natura eorum esse videtur. Tantalo ingentis saxi moles impendet, atque eandem vel similem esse eius naturam vidimus atque Atlantis, Menoetii, Promethei epithetis indicatam. in vasculo autem Cyrenaico nigris figuris exornato Atlantem reperimus aperte lapidem gestantem non caelum (cf. Gerhardi delect. vas. II 86). atque ita res est constituta, ut saepius Sisyphum vel Tantalum a pictore descriptum esse viri docti contenderint, donec Welckerus Atlantem et Prometheum compositos esse cognoverit. H. Schmidtius (l. l. p. 115) de hoc vasculo agens *contra hunc virum*, inquit, (sc. Prometheum) *alter vir barbatus adstat*, *qui magnam molem*, *quae saxi figuram habet*, *sed certe caelum repraesentat*, *summa omnium virium contentione umeris portat.* G. Treu (Olympia [1897] III 174) molem quam Prometheus fert nubes conglobatas esse censet. de caelo tamen et de nubibus dubitare licet, si formam molis attente contemplaris. praeterea speculum Etruscum afferre expedit, in quo Hercules et Atlas effícti sunt (cf. Gerhard, etruskische spiegel, tab. 137 et adnotationum vol. III 1 pg. 130). Atlantem vides exstare qui molem aliquam in umeris positam utraque manu sustinet. moles, quae ei imposita est, simili modo est efficta quo saxum vasculi Cyrenaici, nisi quod signa quaedam minuscula adiecta sunt. quibus signis Koertius quidem stellas repraesentari dicit. quod si verum esset, moles sane caelum esset; at etiam sub Herculis Atlantisque pedibus eadem signa efficta sunt. nullo igitur modo signa illa stellae esse possunt, cum in terra aliqua, non in caelo Herculem et Atlantem positos esse necesse sit. sed ideo signa illa videntur efficta esse, ut molem aliquam depictam esse manifestum sit. in utraque igitur imagine Atlas saxum videtur portare, non caelum, quae res Tantalo comparato confirmatur.

Praeter Atlantem et Tantalum non solum comparandi, sed etiam arte inter se esse coniungendi videntur Prometheus et Tityus. et Tantalum et Tityum et Sisyphum conspicatus est Ulixes, cum Oceanum transgressus in mortuorum regnum pervenit. Tityum Pausania auctore etiam Polygnotus in Erebi imagine pinxit. a duobus vulturibus iecur eius laceratur sicut Promethei a Iovis aquila. etiam Tityus id quod eum habere nefas erat arripere conatus est, sicut Prometheus ignem, quem Iuppiter recusare constituit, tamen contra Iovis voluntatem sibi vel hominibus, quorum simillimus est, comparavit. noli neglegere utriusque iecur, quod libidinis sedem esse putabant, a volucribus lacerari: ad culparum similitudinem hoc spectat. Promethei et Tityi exempla certam culpam certa poena puniri demonstrant. itaque et quod ad indolem et quod ad supplicium attinet,

fere idem videntur esse Tityus, qui in Tartaro est, atque Prometheus, quem inde ab Aeschylo ad Caucasum alligatum videmus. mirum sane est quod Hesiodus locum, quo Prometheus supplicio afficitur, non indicavit, sed ipsum supplicium exponere satis habuit. neque enim de Caucaso, neque de media Graecia, id quod facere solent, ex Hesiodo fabulari licet. iam vero quin in ipsa fabula Promethei locus quoque supplicii traditus fuerit, nemo dubitabit. ad Caucasum autem eum inde a vetustissimis temporibus alligatum fuisse non facile quisquam contendat, cum ipsius poenae natura aperte ad Tartarum spectet. sed qui totius Hesiodeae narrationis sensus sit quaerendum est, ut de hac re iudicium ferre liceat. componuntur tria πρόσωπα, ut ita dicam — nimirum Epimetheus hoc loco non est commemorandus —, quibus nimia superbia atque audacia repraesentantur. similis naturae sunt, qua evenit, ut fratres dicantur atque eius Titanis filii, qui cum Saturno artissime coniunctus est: Iapeti. Iapetus enim et Saturnus soli Titanum prooemio commemorantur (v. 19), qua re eos praecipue Titanum indole uti poeta videtur significare. Titanomachiae breviter mentionem facit Hesiodus vv. 390—403, Titanes devicti atque in Erebum inclusi ab interpolatore commemorantur vv. 729—733 et vv. 881—885, de quibus infra disseram. in Erebo etiam eos qui propter indolem Iapeti filii dicuntur versari concludimus, id quod de Menoetio ex ipsius Hesiodi verbis constat (v. 514/5). Atlas Hesiodi temporibus non iam saxum in Erebo, sed caelum in Erebi limine ferre dicebatur, quem tamen vetustissimis temporibus ipso in Erebo propter superbiam poena affectum esse veri nobis simillimum videbatur esse. cum Atlante Prometheus non solum apud Hesiodum, sed etiam apud Aeschylum arte coniunctus est (Prom. v. 351 sqq.). praeterea iterum hoc loco vasculum illud Cyrenaicum afferendum est, quo Atlas et Prometheus inter se componuntur. nam dextra in parte picturae aperte Prometheus effictus est: vir imberbis, flexis genibus stans, manibus et pedibus a tergo ad columnam alligatus est, cui avis aliqua imposita est. altera volucris in genibus sedens Promethei corpus lacerat. ab altera parte Atlas, ingentis saxi molem vix sustinens effictus est. cum vasorum pictores Atlantis supplicium omnino raro pinxerint, quam arte Atlas et Prometheus inter se coniuncti fuerint, hac e pictura elucere arbitror, cum hoc uno vase nigris figuris exornato Atlas et Prometheus inter se componantur. eandem rem Pherecydes docet sapientem quidem. ille enim quid de Herculis ad Hesperidas itinere narraverit, scholiasta ad Apollonium Rhodium (Δ 1396) memoriae tradit. 'Hercules, inquit, Libyam transgressus, ad externum mare pervenit'. mare externum

aperte id dicitur, quod extra terram est, quo quid citra, quid ultra sit secernitur. 'pervenit igitur ad terrae marisque fines et per Oceanum Solis calice usus navigat'. itaque nusquam nisi in Erebum progreditur, qui ultra Oceanum situs est. de hac re secundum ea quae exposui dubitatio exsistere non potest. '*ἐξελθών δὲ παρὰ Προμηθέα καὶ ὀφθεὶς ὑπ' αὐτοῦ οἰκτείρει ἱκετεύοντα καὶ κτείνει τὸν ἀετόν*, ὅς *αὐτοῦ τὸ ἧπαρ ἤσθιε, τοξεύσας προσπετόμενον*'. verbum *ἐξελθών* excipit verba *καὶ διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ πλέων*, ita ut dubium non sit, quin Herculem Oceanum transgressum in terra aliqua consistere dicat. itaque etiam Pherecydes de regionibus ultra Oceanum positis agit. primum ibi Hercules Prometheum conspicit, cum casu Oceanus Herculis navigium eo tulerit, ubi Prometheus stat. Prometheus autem, ab Hercule liberatus, ad Atlantem eum progredi iubet, ut ab eo Hesperidum mala accipiat. itaque et Prometheus et Atlas et Hesperides ipso in Erebo stare dicuntur, cuius rei ipsius Pherecydis narratione vestigium praebetur, quamquam Pherecydes ipse Atlantem sane caelum ferre narrat. Atlas enim si caelum fert iuxta ipsum Erebum et fere ante Erebum stare debet. Erebus enim post caeli fines est et esse debet, cum solis radiis numquam attingatur, id quod Theogoniae interpolator scite fabulatur. terra autem quae altera Oceani ripa terminatur Erebus iam est, neque tamen Atlantem caelum ferentem ante Prometheum stare Pherecydes narrat. apertum hoc esse indicium censeo de Atlante et Prometheo in ipso Erebo punitis. cuius rei etiam Aeschylus indicium praebet. Mercurius enim, cum Prometheus de matrimonio, quo filius patre potior nascatur, dicere recuset, Iovem eum in Tartarum demissurum esse praedicit, quem secundum Hesiodum Erebum esse intelleximus (Prom. v. 1017/8 K.). per longum temporis spatium in Tartari tenebris manebit, priusquam iterum '*εἰς φάος*' redire ei licebit. neque e vinculis neque ab aquila liberabitur, nisi alter deus sua sponte pro eo in Tartari tenebras ire velit. ultimis tragoediae versibus terram Iovis fulmine discindi describitur: Prometheus antequam in terram submergatur matrem et Solem testes invocat iniuriae, qua afficiatur. — etiam Aeschylus igitur pristinam quam deteximus fabulae formam novit. nescio an ipse Aeschylus novam fabulae formam, qua Prometheus ad Caucasum alligatur, invenerit, ut Promethei fabulam et tragoedia docere et cum Ionis Herculisque fabulis commode coniungere posset. aperte alteram trilogiae tragoediam versus 1019/20 significant, quibus Prometheum longo temporis spatio peracto in lucem rediturum esse dicit. nimirum eum redisse necesse erat, ut quo modo ab Hercule et Chirone liberatus esset Aeschylus tragoedia docere posset.

Ex his omnibus et de Atlante et de Prometheo in Erebo punitis, sicut de Menoetio ceterisque Titanibus, antiquos primitus fabulatos esse iure colligere mihi videor.

## Caput V.

### De Titanomachia Hesiodea.

Promethei fabulam in Theogonia Titanomachia excipit (v. 617), quae v. 718 terminatur. de tota narratione Meyerus (§ 6) sagacissime egit, quocum in universum me consentire profiteor. neque solum interpolata est, sed etiam compilata. varias narrationis partes variis e fontibus interpolator hausit, ita ut paucos tantum versus ipse adiecisse videatur. nec ultimos narrationis versus (713—718) ipse invenit, cum sententia quae est *κατὰ δ' ἐσκίασαν βελέεσσι Τιτῆνας, καὶ τοὺς μὲν ὑπὸ χθόνος εὐρυοδείης πέμψαν κτλ.* ad finem perducta non sit. Titanomachiam autem foede mutilavit interpolator, ut facilem ad Tartari descriptionem transitum sibi pararet. hanc Titanomachiam et cum Tartari descriptione ab ipso interpolatore coniunctam esse et olim vv. 881—885 terminatam fuisse Meyerus contendit, qui versus nunc narratione de Typhone pessime interposita a Titanomachia secernuntur. atque hoc sane est concedendum ipsis versibus 881/5 versus 820—880 interpolatos esse indicari. Titanomachiam aliquam eos olim conclusisse in aperto est. quae autem fuerit illa Titanomachia, etiam post Meyerum non inutile erit quaerere. num enim vere versibus 881/5 cum v. 718 coniunctis bonum narrationis conexum et conclusionem efficiamus, dubito. — quam ad rem diiudicandam de Titanomachia Hesiodea quaestionem instituere necesse est. ipse Meyerus versibus 644—86 et 713—19 coniunctis bonum versuum conexum effici statuit (p. 52) neque eum fugit totum narrationis aliunde sumptae argumentum eo consilio mutatum esse ab ipso interpolatore, *ut Centimani essent ei, quorum causa cetera fierent. itaque*, inquit, *quae illic* (sc. in carmine deperdito Titanomachia) *summam argumenti efficiebant — Iovis deorumque contra Titanes bellum ..... — hic in parenthesi afferuntur, ut lectores aliquo modo edoceantur* (p. 52). itaque Centimanorum potius quam deorum cum Titanibus pugnam poeta narrare videtur. ipsum igitur interpolatorem vv. 881/5 invenisse censebis, quibus Centimani ne commemorantur quidem? ne versibus 687—699 quidem dei, sed unus Iuppiter pugnare dicitur. praeter versus 617—43, quos ipse interpolator invenit, ut carminis quod expilabat partes cum Theogonia aliquo modo coniungeret, ne versibus 644/63 quidem de

deorum, sed de Centimanorum pugna agitur. hoc enim Iuppiter: 'nos, inquit, Saturni liberi, Titanes superare nequimus. itaque vos accersivimus, ut vires vestras contra Titanes ostenderetis'. verba ὑμεῖς δὲ μεγάλην τε βίην ... φαίνετε Τιτήνεσσιν solos Centimanos inde ab hoc tempore pugnaturos esse indicant. ipsi dei, longo proelio defessi, ne commemorantur quidem. neque Cotti verba alium sensum proferunt. 'ῥυσόμεθα, inquit, κράτος ὑμὸν ἐν αἰνῇ δηιοτῆτι μαρνάμενοι Τιτῆσιν'. tota res igitur e notione verbi quod est ῥύεσθαι pendere videtur. significat autem non *adiuvare*, *socium se alicui praebere*, sed: *conservare*, *defendere*. quod ut confirmem, si quidem omnino id opus esse videtur, hos locos afferre mihi liceat: *P* 223 'ἵνα μοι Τρώων ἀλόχους ... προφρονέως ῥύοισθε ...'; *O* 290 'ἀλλά τις αὖτε θεῶν ἐρρύσατο καὶ ἐσάωσεν Ἕκτορα', qui locus verbo σώζειν adposito, ita ut ἓν διὰ δυοῖν quod dicimus efficiatur, rem plane aperit. cf. etiam *T* 799. — Hes. Sc. 105 'ὃς Θήβης κρήδεμνον ἔχει ῥύεταί τε πόληα. — primo et quarto loco allatis verbum ῥύεσθαι, si *adiuvare* vel *socios esse in pugna* diceret, adhiberi posse plane nego, cum neque αἱ ἄλοχοι neque ipsa urbs pugnent. eundem verbi sensum aperte profert Odysseae carminis α v. 6: 'ἀλλ' οὐδ' ὣς ἑτάρους ἐρρύσατο ἱέμενός περ' [1]). quibus locis collatis non dubitabis, quin verbum ῥύεσθαι sit *conservare*, *periclitanti salutem adferre*. in eandem rem vox ὑμεῖς (v. 649) quadrare videtur, quae consulto certe in sententiae initio posita deos pugna destituros esse indicat. 'nunc, inquit, vos pugnetis quaeso, nos ipsi non iam pugnare possumus'. is videtur verborum sensus esse. hoc igitur statuo: vv. 644—663 certe ab uno poeta ideo inventi sunt, ut Titanomachiae alicuius pars fierent. at poeta huius Titanomachiae deos longo bello defessos se ex pugna recipere et pro eis Centimanos et certare et vincere et deicere Titanes in Tartarum finxit. neque igitur in deorum cum Titanibus pugnam enarrandam (quam versibus 617 sqq. interpolator significat) nec in versus 687 sqq. quadrant. his autem versibus genuinus versuum 644—663 + 713—718 conexus atque totius narrationis progressus tam foede interrumpitur, ut eundem interpolatorem eos adiecisse, a quo Titanomachiam interpolatam esse Meyerus statuit, difficile sit credere. nempe ineptissime adiecti sunt, cum Titanomachiae pars ne possint quidem esse. haec enim est vis verbi χθόνιος, qua de re Meyerus satis disputavit. Titanes cum χθόνιοι dicantur, sub terra aperte sunt cogitandi: itaque versus quibus haec notio inest de alia Iovis

---

1) Cf. etiam Aesch. Sept. v. 91 *K.*, Eum. vv. 230, 303 (!), Suppl. v. 492; Soph. Oed. R. 312/3 Dind., 1351, ubi iterum cum verbo σώζειν arte est coniunctum.

pugna nec de Titanomachia agunt. de hac re etiam infra verba faciam. hoc loco quam male vv. 687 sqq. ad totam narrationem quadrent confirmasse satis est. quibus versibus remotis tota narratio id potissimum agere videtur, ut pugnam a Centimanis, non a dis cum Titanibus commissam describat. minime autem hanc in rem vv. 881—885 quadrare videntur. qui sicut Typhonem non commemorant, unde Typhonomachiam postea insertam esse cognoscere licet, ne Centimanorum quidem rationem habent, quos tota in narratione primas omnino partes agere vidimus, sed aperte ad veram Titanomachiam spectant. nullo antecedentis narrationis loco tam manifesto sensus Titanomachiae indicatur quam v. 882. utrum Titanes an *ὅσοι Κρόνου ἐξεγένοντο* ab hominibus honoribus afficerentur, i. e. mundi regnum et imperium obtinerent, hac pugna decernebatur atque decretum est. victoria a dis reportata Iuppiter a ceteris dis rex factus est secundum Terrae vaticinium. Terra hic commemorata ipsos versus vetusti poetae esse, qui fabularum sensum bene noverit, apparet. quanti enim momenti vetusta in fabula Terra, dea vaticina, fuerit, versus 463 et 470 docent. neque male interpolator 'Titanomachiae' Centimanos *Γαίης* *φραδμοσύνῃσιν* ad lucem revocatos esse narrat, quem versus 884 rationem habuisse mecum dices, ubi vetustam versuum 881/5 indolem cognoveris. Meyerus quidem hos versus Hesiodo abiudicat, cum Hesiodum ipsum Titanomachiam large exposuisse variis de causis neget, quam vv. 384—403 plane contineri et absolvi contendit. immo satis superque Hesiodum laudat, quod rem, qua sescentos versus explere potuit, tam breviter nec quicquam neglegens narraverit. atque hoc concedendum versus esse optimos. et profecto usque ad finem res progredi videtur, cum v. 403 dicat: ... *αὐτὸς δὲ μέγα κρατεῖ ἠδὲ ἀνάσσει* (sc. *Ζεύς*). aperte Hesiodus hic Iovem regnare dicit. at totam rem, si eam vere hoc loco absolvere voluit, loco minime apto narrat, nulla alia de causa quam quod Styx, filia Tetyos, liberos suos cum Iove coniunxerit illa die, qua deos et qui alii vellent in pugnam cum Titanibus Iuppiter arcessivit. Styx igitur, non Iuppiter, deorum rex, id quod tamen in Titanomachia sane exspectamus, hoc loco summi momenti est. neque praeter Stygem liberosque quisquam qui Iovem adiuverit commemoratur — ne ceteri quidem di qui certe commemorandi erant — neque qua de causa bellum cum Titanibus ortum sit exponitur. nec natus quidem est Iuppiter eis temporibus, quibus Styx ipsa nascitur et deinde a Pallante in matrimonium ducitur. accedit quod in fine narrationis de Iove e Rhea nato eum Cronum patrem superaturum atque ipsum inter deos regnaturum esse indicatur tantum: ..., *ὅ μιν*

τάχ' ἔμελλε βίῃ καὶ χερσὶ δαμάσσας τιμῆς ἐξελάειν, ὃ δ' ἐν ἀθανάτοισι ἀνάξειν (v. 490).

Si aperte hic Iovem regem futurum esse poeta dicit, tamen haec verba eum fusius totam rem expositurum esse indicare videntur. noli mihi obicere tales res in Theogonia, quae quo modo dei inter se sint cognati enarret, exstare necesse non esse. hoc iudicium valet, si de Tartari descriptione loqueris. at velut quid Prometheus et fratres eius perpessi sint bene in Theogonia explanatur, ita quo modo Iuppiter summus mundi rex factus sit, quibus sociis sit usus, quibus honoribus socios merito affecerit — haec omnia exstent non solum licere in Theogonia, sed etiam necesse esse censeo. Meyerus laudat, quo modo Iuppiter deos quasi ministros regis inimici ad se allicuerit in ea parte, qua de Styge potissimum, non de Iove agendum erat. at hoc loco totam rem indicando iam conficere, ita ut postea ne verbum quidem de ea faceret, non licuit poetae meo iudicio. accedit hoc: si laudandum est, id quod Meyerus dicit, quo modo Iuppiter alius *regis ministros sociosque* ad se allicere fingitur, non laudandum est, quod quo modo ipse regnum quod nactus est, instituerit omnino non dicitur. hoc modo efficitur, ut de Iovis fratribus, de Neptuno et Plutone nihil in Theogonia audiamus. nonne haec valde mira res est? id autem tota Theogoniae narratio agit, ut quo ordine dei nati sint et mundi imperium obtinuerint exponat. quam in dispositionem Titanomachiae locus optime quadrat, nec alio loco eam inserere licuit, nisi totam Theogoniae conexum vehementer mutare vellet poeta vel interpolator. nam post Terrae et Urani matrimonium vv. 136 sqq. narratum eorumque liberos, qui sunt Titanes, enumeratos, v. 336 demum progreditur res ad Titanum liberos. qua arte haec omnia a poeta instituta sint, Meyerus optime ostendit. quid ultimi Titanis, Iapeti, filii passi sint, inde a versu 507 exponitur, inverso ordine ea de causa, quod ante Prometheum a Iove punitum Iovem ipsum natum esse dici oportuit. hoc quoque Meyerus bene coniecit. hanc de Prometheo potissimum partem sequitur Titanomachia, quam interpolator, sicut Meyerus cum Gerhardio aliisque contendit, ipse terminavit vv. 881—885. primus igitur Uranus habebat mundi imperium, quem Cronus filius e Terrae matris consilio et rogatu castrat. fratres Titanes liberat. cum, ut Prellerus Robertusque (l. l. p. 43 adn. 2. cf. Meyeri pg. 81) recte adnotare mihi videntur, qui Iovem in imperio mundi antecesserint, nusquam nec umquam vere 'primi deorum' habiti sint, sed quae de iis narrentur ficta tantum sint, ut Iovis imperio opponerentur, non miramur, quod nullo Theogoniae loco apertis ver-

bis neque Uranum neque Cronum neque mundi imperium obtinere neque primum deorum hominumque factum esse audiamus. etiam quae de Crono audimus, indicant tantum eum patre castrato rerum potitum esse. contra aliter res de Iovis imperio se habet. primum hoc quidem in aperto est totam Titanomachiam si vera pugna deorum cum Titanibus est (id quod compluribus locis indicatum videmus) eo tendere, ut quo modo Iuppiter rerum potitus sit ostendatur. praecipue quaeso conferas vv. 383—403. quamquam Titanomachiae interpolator Centimanos potissimum cum Titanibus pugnare faciat, tamen compluribus e locis hoc quod dixi apparet. maxime autem in locis Titanomachiam antecedentibus saepius Iuppiter rex deorum f u t u r u s indicatur. idem vv. 881—885 optime prae se ferunt, neque eos bene cum 'Titanomachia' illa quae antecedit coire supra ostendi. optime autem quadrant in vv. 383—403, quibus de Titanomachia praemonetur. — Titanomachiam tam arte cum ipso Theogoniae argnmento cohaerere iam exposui, ut eam omittere poetae non licuerit. ea autem Titanomachia, quam vv. 881—885 olim concluserunt, omnia ea narrata fuisse necesse est, quae Hesiodum narraturum fuisse vv. 384—403 indicant: vv. 881/5 a deis Titanes superatos esse, a deis Iovem regem factum esse, a Iove honores quos promisit distributos esse dicunt nec causam pugnae neglegunt. compositorem, qui res ab Hesiodo alienissimas Theogoniae inseruit, hos versus invenisse nego. immo ipsum Hesiodum et hos versus invenisse et — id quod ex ipsis versibus colligere debemus — Titanomachiam largiore narratione exposuisse, etiam hac cogitatione efficimus. versuum naturam et consilium bene dispiciens Meyerus interpolatorem *ad sequentes Hesiodi versus de Iovis reliquorumque deorum recentium generibus* bonum transitum versibus 881/5 effecisse statuit. neque est dubium, quin ipse Hesiodus Iovis ceterorumque deorum recentium genera post ultimi Titanis progeniem protulerit (Meyerus p. 82). cuius narrationis initium retractatum esse post Hesiodum ipse Meyerus comprobavit. Hesiodi autem certe sunt vv. 901—921. num Hesiodum talem narrationem protulisse omnino est veri simile Titanomachia praetermissa? nonne antea quo modo Titanes a dis superati essent, quo modo Iuppiter deorum rex factus esset exponere debuit? id enim totius Theogoniae dispositio et progressus indicat atque eo tota carminis narratio aperte tendit.

Versus 881—885 igitur ipsius Hesiodi sunt, quibus Titanomachiam suam conclusit.

Hac re absoluta redeamus ad versus 687—699, qui, quamvis bene ipsi decurrant, tamen foede narrationis conexum et progressum

interrumpunt. quibus de causis removendi sint, Meyerum secutus exposui, quem uni atque egregio poetae eos attribuendos esse minime fugit. unde autem interpolator eos sumpserit, se ignorare profitetur. neque vero difficile est dictu, qualem Iovis 'pugnam' carmen illud narraverit. ipse Meyerus vidit, quam arte inter se sint cognati hi versus et vv. 820—868, quibus Iovis 'pugna' contra Typhonem describitur. atque omnes versus meram esse repetitionem totius Titanomachiae iudicavit. vere rem ita esse constitutam equidem non confirmem. postquam enim Usenerus (mus. rhen. 1901) sagacissime de novo aliquo carmine Hesiodeo disputavit, quo Typhonem et natum esse Iunonis et a δρακαίνᾳ educatum et a Iove superatum poeta narraverit, exsistit quaestio, nonne in hac parte Theogoniae (vv. 820 sqq.) memoriam huius carminis inveniamus. sane hic non Iunonis, sed Terrae filius est Typhon, sane de longo temporis spatio, quo educatus sit, nihil dicitur. sed tota narratio in unum diem inepte compressa est. tamen id quod in vetusto illo carmine, cuius lineamenta Usenerus nobis ostendit, summa res esse debebat, hic quoque maximam narrationis partem obtinet: pugnam dico Iovis contra Typhonem. haec 'pugna' in Theogoniae versibus 820 sqq. similiter describitur atque in particula 'Titanomachiae', qua Iuppiter ita pugnae se immiscere dicitur, ut totus mundus inflammetur. nonne hi versus e vetusto illo carmine hausti esse possunt? quae coniectura confirmatur vv. 695—697 et 839—851 comparatis. utroque loco totus mundus fulminibus Iovis incensus et concussus describitur. praeter v. 846 iam a Wolfio recte deletum etiam versus 847/849 e priore parte falso hic inserti atque secludendi mihi videntur. conferas quaeso vv. 695 et 681. mirum in modum hos locos inter se conspirare non est qui neget. pugnam Iovis cum Typhone Theogoniae ab interpolatore aliquo — non a Meyeri 'compositore Titanomachiae' — insertam esse iam ante Meyerum Gruppius recte suspicatus est. et ni aliae causae ipsi descriptioni propriae exstarent, sufficerent nobis unus v. 881 et qui sequuntur, quibus de pugna adversum Typhonem commissa nihil dicitur. novit poeta deorum pugnam cum Titanibus tantum, qua commissa Iuppiter e Terrae consilio rex deorum factus est. vv. 820—880 igitur neque Hesiodi sunt neque compositoris esse videntur qui 'Titanomachiam' illam Theogoniae inseruit. eodem iure Hesiodi esse vv. 687—710 (qui etiam ipsi inter se non cohaerent) negavimus. at si hos versus e Titanomachia removemus neque obliviscimur interpolatorem, qui eos aliunde sumptos inserere voluisset, etiam sequentes aliquo modo tangere, mutare, ad interpolationem suam adaptare necesse fuisse, versibus qui restant sensus non intolerabilis efficitur. at-

que hausti esse videntur vv. 687—700 e carmine illo quod pugnam contra Typhonem commissam narravit.

Qua re concessa aliter de ratione quae inter Titanomachiam atque pugnam contra Typhonem commissam intercedat iudicare licet quam Meyerus iudicavit. certe similitudinem vel cognationem inter has duas partes omnino exstare non nego. sed qui vv. 687—700 quasi ante oculos habuerit, ut ita dicam, ei ceteros versus in altera parte (820—880) exstantes scribere non licuit, si modo poetae animus ei inerat. versibus prioribus bonus vel optimus sensus efficitur: totum mundum ardere dicunt. atque progreditur poeta de *γαίᾳ* incensa (693), cuius partes — sc. ipsam terram (*χθών*) et maria (*Ὠκεανοῖο ῥέεθρα* 695) — affert, ad ea quae sub terram posita sunt. ita enim verba quae sunt *Τιτῆνας χθονίους* interpretanda esse, ut non ipsos Titanes, sed regionem aliquam mundi dicant, apparet. nihil aliud nisi Tartarum afferre vult poeta. deinde optime ignem, unius et ingentis flammae instar praebentem, ab ima parte ad summam, ad aethera ascendere indicat. qui versus me quidem iudice egregii atque vetustissimi poetae sunt. — contra vv. 839 sqq., postquam *γαῖαν* et *οὐρανόν* et *τάρταρα γαίης* strepere et tremere audivimus, iterum commemoratur Olympus, qui certe terrae pars est, iterum terra ipsa et mare (843/4). tum v. 850 (nam de vv. 846—849 quid iudicem supra dixi) iterum *Ἀίδην* tremere affirmat, tum hic quoque Titanes tremere audimus. v. 851 ab Homero pendere videtur: '*θεοὺς δ' ὀνόμηνεν ἅπαντας τοὺς ὑποταρταρίους, οἳ Τιτῆνες καλέονται* (Ξ 278). Meyerus complures alios versus huius partis Theogoniae ex Homero haustos esse ostendit: v. 836 verba '*ἤματι κείνῳ*', quae etiam versu 667 invenimus, Homeri Θ 131 deberi videntur, cum verba '*ἤματι τῷ, ὅτε ..*' (Theog. 390) bona atque genuina Hesiodi esse videantur. praeterea omnino Θ vv. 131/2 cum Theog. vv. 836/8 conferendi sunt.

Quibus omnibus efficitur, ut nostro iure totam partem sero et fictam et Theogoniae insertam iudicemus. qui eos compilavit, novit certe 'Titanomachiam', novit etiam vetustum illud carmen de Iove, Iunone, Typhone agens, cuius recordatus tantum totam rem minus commode comprensam composuit. sed non novit, ita ut plane eos in memoria haberet, versus quibus incendium mundi describebatur. quos versus in carmine de Typhone exstitisse veri simile est etiam hac de causa: prima verba *οὐδ' ἄρ' ἔτι Ζεὺς ἴσχεν ἑὸν μένος κτλ.* indicare videntur unum Iovem pugnam suscepisse. verba *οὐδ' ἄρα* ubi de Iove nihil antea dictum invenimus, offensioni sunt, quae tamen in pugna contra Typhonem bene locum obtinerent. Terra enim quae Typhonem, ut adversarius terribilis esset Iovis,

genuit exspectare debebat, eum qui maximis viribus utebatur celeriter superaturum esse Iovem. *καί νύ κεν ἔπλετο ἔργον ἀμήχανον,* ut versu 836 legimus, nisi Iuppiter quid sibi esset faciendum statim intellexisset. *οὐδ' ἄρ' ἔτι Ζεὺς ἴσχεν ἑὸν μένος* — ita fere rem comparatam fuisse in eo carmine, unde versus hausti sunt, prima verba indicant. quibus e verbis iam elucere contendo interpolatorem illum Titanomachiae carmine illo usum esse, quo pugna contra Typhonem narrata fuit.

Atqui si probabilis esse videtur haec mea coniectura, non iam mira videbitur cognatio illa horum versuum cum vv. 820 sqq. si versus 687 sqq. e tali carmine hausti erant atque si poeta aliquis vel interpolator eodem vel simili carmine usus eandem rem describere sibi proposuerat, hanc cognationem effici necesse erat.

## Addendum.

Absoluto iam opusculo meo atque typis expresso C. M. Franckenum de Promethei et Pandorae fabulis quales apud Hesiodum narrantur egisse comperi ('Prometheus en Pandora, bijdrage tot de kritiek van Hesiodus' Groningae 1864). cuius commentationem ut inspicerem liberalitate academiae bibliothecae Groningensis mihi contigit. atque valde gaudeo quod virum doctum compluribus de rebus atque de satis gravibus idem iudicium ferre video quod ego comprobare studui. contra quibus in rebus dissentio a Franckeno, argumentatione sua non ita mihi persuasit, ut me in errore versari credam. cum libellus, quamvis docte et argute conscriptus sit, nimis obscuratus esse videatur, quae de gravissimis rebus quas tractavi iudicia proferat brevibus commemorare mihi liceat:

1) Fabulam qua fraus Meconae a Prometheo commissa exponitur aetiologicam esse cognovit Franckenus. atque Iovem secundum genuinam quidem fabulam vere deceptum esse, versus 551/2 igitur postea narrationi insertos esse recte exponit, in eo tamen errans me quidem iudice, quod ipsum Hesiodum sui ipsius narrationis retractatorem exstitisse censet (pg. 9/13). etiam sensum atque consilium interpolationis recte explicat: nempe ideo versus inventos esse dicit, ne Iuppiter, summus deus, vere deceptus esse videretur. sed quamquam sensum fabulae sane perspexit, versus 556/7, quibus fabula explicatur, interpolatori vel *διασκευαστῷ* alicui attribuit, cum narrationis progressum interrumpere videantur. hac de re quid iudicem exposui pg. 17—19. totam fabulam Meconensem cum Goettlingio in Peloponneso ortam esse iudicat.

hanc quaestionem, quae cum difficillimis et gravissimis de Telchinibus quaestionibus mythologicis arte coniuncta est, attingere ausus non sum.

2) Versus 526—534 quamvis aliis de causis atque ego interpolatori alicui attribuendos et removendos esse censet.

3) Qua de causa Iuppiter a Prometheo deceptus hominibus ignem recuset, sc. ne carne per dolum comparata frui possint, recte exponit (pg. 13 sq.).

4) Fabulas de primae mulieris origine, de hominum aetatibus, accipitris fabulam ab ipso Hesiodo Operibus insertas esse iudicat, quamquam primam fabulam mire atque satis artificiose carmini iniunctam esse sane perspexit. versibus 40—49 transitum tantum comparari ad sequentem fabulam censet. versus 90—105, quibus altera fabula narretur quam de primae mulieris origine, removet, eidemque interpolatori attribuit versus 81/2, quibus Pandorae nomen et commemoratur et satis inepte explicatur (pg. 27—37). verbis *ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν* dolium Pandorae, non Epimethei domum significari exponit (pg. 27).

5) Per totum Franckeni librum rectissima quae mihi quidem videntur esse iudicia et de universa Graecorum mythologia et de Promethei persona dispersa sunt. atque, id quod ita esse maxime gaudeo, Franckenus quoque Prometheum superbiae humanae potissimum exemplum esse iudicat, qua de re pagina 63/4 egi. unde Prometheum adeo ad humanam naturam accedere iure sibi videtur colligere, ut eum fere primum omnium virum cogitatum esse iudicet. hac de re praesertim conferas velim Franckeni paginas 22—25.

Quaestionem de ratione, quae inter Théogoniae et Operum locos de Prometheo intercedat, omnino non instituit neque dubitationem movet de Hesiodo Theogoniae versuum 570—589 auctore neque versus 590—612 cum antecedentibus minus congruere perspexit.

---

## Auctor de vita sua.

Natus sum Gustavus Hermannus Eduardus Lisco in oppidulo Brandenburgensi, quod est Liebenwalde, a. praet. s. LXXIX. Non. Iun. patre Hermanno, matre Helena e gente Heilborn. fidei addictus sum Christianorum, confessioni euangelicae. — scholis privatis elementis imbutus inde ab anno XC gymnasium frequentavi Berolinense, quod de Henrico principe nomen trahit. neque hoc loco gratias quam maximas agere omittam viris doctis P. Corssen, D. Coste, O. Richter, quorum institutione factum est, ut litteris me darem. autumno anni XCVII maturitatis testimonio instructus in civium almae matris Berolinensis numerum receptus sum; vere anni XCVIII Heidelbergam migravi, unde autumno eiusdem anni Berolinum redii. per haec tria semestria nimis multis atque diversis rebus deditus nondum recta via eo tendebam, quo nunc me perventurum esse spero: ut vir vere philologus fierem. scholis me interfuisse cum aliorum v. d. tum Lenzii atque Wilamowitzii semper me meminisse iuvabit, quibus imprimis gratias ago. Gottingae autem, quo vere a. XCIX me contuli, Kaibeli †, Leonis, Roethii scholis effectum est, ut philologiae totum me darem. praeterea scholis me docuerunt viri doctissimi hi: Busolt, M. Heyne, Meissner, Rehnisch†, W. Schulze, G. Wentzel. ad exercitationes philologicas Kaibel et Leo, ad historicas Busolt, ad palaeographicas W. Meyer, ad archaeologicas C. Dilthey, ad germanicas Heyne et Roethe, ad grammaticas Schulze et Wackernagel aditum benigne mihi concesserunt. seminarii regii germanici per duo semestria sodalis fui ordinarius, per quinque seminarii philologici, quorum per tria senior.

Omnibus quos enumeravi viris doctissimis quantum debeam grato animo profiteor. G. Wentzel quam amice et benevole opera et consilio me adiuverit nunquam obliviscar. Kaibeli autem, cuius memoriam semper in me vivam fore spondeo, Manes accipiant velim gratias quas vivo referre per lugubre fatum non

licet. in omne tempus obligatum me profiteor Leoni, qui qua est liberalitate non solum philologum, sed etiam hominem erudiendum summis beneficiis auxit. cui pia grataque memoria tantum gratiam habere satis non erit. sed per totam vitam studiis atque moribus ad eos, quos ille, vir et doctissimus et humanissimus, fines mihi proposuit, propius accedere studebo. sic quod ei debeo aliquantum soluturum me esse spero.

Denique me societatis philologicae Gottingensis sodalem fuisse grato animo mihi liceat commemorare.

---



